

Hermann Theophil Hornung.

Commentationis de partibus comoediarum graecarum particula.



COMMENTATIONIS DE PARTIBUS COMOEDIARUM GRAECARUM PARTICULA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GVILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXIX. M. JULII A. MDCCCLXI.
H. XII.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS THEOPHILUS HORNUNG
WERNIGERODANUS.

ADVERSARII ERUNT:
O. BROSIN, PHIL. DR.
E. RATHMANN, PHIL. CAND.
H. STAHL, PHIL. STUD.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

VIRIS OPTIMIS

ERNESTO RADECKE

HERMANNO GOTTSCHED

SACRUM.

DE PARTIBUS COMOEDIARUM GRAECARUM.

Μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα.
Aristoph. Vesp. v. 56.

De partibus comoediarum Graecarum uti dissererem, imprimis me commovit A. Boeckhii, viri Illustrissimi, benevolum consilium, quod hoc loco commemorasse sufficiet, ne quis mihi vitio vertat, quod hanc mihi materiam sumserim tractandam. Graecarum autem et tragoediarum et comoediarum non prorsus intelligi posse credo internam indolem atque naturam nisi perspectis simul formae externae et structurae rationibus. Eo autem magis mirandum est, qui factum sit, ut haec res diligentius sit a nemine fere tractata exceptis iis, qui recentissimo demum tempore de parodo tragoediarum et de comoediarum parabasi disseruerunt, praesertim quum quantum tribuerint veteres homines formae externae nemo nesciat. Quae quum ita sint, vix dubium esse potest, quin relictae sint haud paucae et difficillumae quaestiones, dignae eae quidem, quae in liquidum perducantur. Atque ad has quidem solvendas, quamquam summas obstare difficultates probe conscius mihi sum, ut pro virili parte stipem conferam, animus me inpellit.

---

§ 1.

De fontibus, quibus in scribenda dissertatione usus sum.

Veterum hominum in dijudicandis rebus antiquis vestigia premere, quantum fieri potest, quum haud facile quisquam neget magno esse usui, ante omnia inquirendum esse mihi censui, quaenam exstent de re proposita illorum testimonia.

Ac primo quidem loco afferendum est Julii Pollucis Onom. lib. IV, 108—112. His adjiciendi sunt Joannis Tzetzae τεχνικοὶ

στίχοι περὶ κωμῳδίας, quos primum edidit Duebnerus in Mus. Rhen. IV, 393 seq. et Meinekius in fr. com. Graec. II p. 2, 1840, p. 1250—1254. Praeterea de his Tzetzae versibus inspicienda est O. Muelleri docta dissertatio, quae legitur in Mus. Rhen. V, 334 seq. Ejusdem J. Tzetzae duo exstant commentarii, pedestri oratione conscripti eo sane consilio, ut essent prooemia Tzetzae in Aristophanem scholiorum. Descripsit hos commentarios e codice bibliothecae Ambrosianae jurisque publici fecit in Mus. Rhen. Nov. VI, 1847, p. 108—134 et 243—457 Henricus Keilius, qui in addita docta dissertatione inter alia id egit, ut quaenam esset inter hos Tzetzae commentarios et alios περὶ κωμῳδίας scripta, quae statim allaturus sum, cognatio doceret. Antiquos autem auctores Tzetzae praesto fuisse ideoque partem certe aliquam commentarii e bono et antiquo fonte esse derivatam, testes sunt Dionysii, Cratetis, Euclidis non parvae auctoritatis nomina. Ex his Dionysii nomen utrum cum Meinekio (fr. com. Graec. II p. 1240) ad Dionysium Halicarnassensem, qui μουσικῆς ἱστορίας libros XXXVI composuit, an cum Keilio (l. l. p. 130) ad Dionysium Zopyrum, quem criticam artem in Aristophanis fabulis exercuisse discimus e schol. Av. 1297, referendum sit, equidem non dijudicaverim. De Cratete vero, praeclaro scholae Pergamenae grammatico, vid. Meinekii quaest. scen. spec. III p. 5, et ejusdem hist. crit. com. Graec. p. 13. Euclidem deinde eundem esse cum illo, quem Homeri scholia Lipsiensia Il. A, 5 de versu Homerico disputantem inducant, cum O. Muellero l. l. consentit Keilius l. l. Horum igitur grammaticorum utrum integros libros legerit an excerptos ex illis cum nominis indicio habuerit commentarios, quis est qui dijudicet?

Simillimus Tzetziano est commentariolus περὶ κωμῳδίας ab anonymo quodam grammatico scriptus, quem e codice Paris. edidit Cramerus, Anecdot. Paris. I. p. 3—10, unde receptus est in edit. schol. Aristoph. Paris. p. XVII seq. et praefixus edit. comoed. Aristoph. a Th. Bergkio juris publici factae Lipsiae 1857, p. XXXV, Nro. VIII[1]). Atque hic quidem commentarius, mutilus magnisque inquinatus vitiis, utrum e Tzetzae commentario sit conscriptus, an Tzetzes ex illo hauserit, an utrique ad antiquiorem fontem communem sint referendi, haud facile dijudicari potest, si omnino

---

[1]) Hac editione usus sum in laudandis versuum numeris.

potest. Qua de re, qui plura scire concupiscat, ipse inspiciat Keilii dissertationem supra laudatam.

Praeterea nominanda est vita Aristophanis, ab anonymo haec quoque composita scriptore, quae invenitur in edit. Bergkiana, p. XLIV, Nro. XII et in edit. schol. Paris. p. XXVII, Nro. XI. Brevissime rem attingit schema logicum e codice Coisliniano descriptum ap. Cramerum, Anecdot. Paris. I p. 1404, quod ex Andronici Rhodii, philosophi Peripatetici, opere petitum esse suspicatus est Bergkius l. l. p. VIII seq. ea fortasse de causa, quod idem codex Andronici Rhodii de animi affectt. tractatum continet, quare equidem viri doctissimi conjecturae haud ita multum tribuerim, quoniam saepissime variorum atque ut aetate ita ingenio diversissimorum scriptorum opera forte in unum eundemque codicem esse conjecta satis compertum est, ac magis quam Bergkii probatur mihi Crameri sententia, verba esse alicujus commentatoris in Aristotelis tractatum de Poetica censentis, quae eapropter notabiliora sint, quod scriptor pleniorem eam, quam qui ad nos pervenerit, habuisse videatur (cf. Cram. Anecdot. Oxon. 1839, I, p. 403 seq.),

Praeterea vix monendum est, permagni aestimanda esse ad rem propositam antiqua scholia Aristophanea, maximam partem e veteribus commentariis hausta.

Denique quum comoediam tragoediamque ut similem originem habuerint, ita forma quoque esse simillimas facile appareat, ut, si summam rem spectas, ad idem fere exemplum videantur compositae: mirum non erit, si id, quod de tragoediae partibus jamjam prolatum est, in nostrum usum convertimus, siquidem tota nostra disputatio ita instituenda est, ut semper tragoediae habeamus rationem.

Inter eos autem, qui de tragoediae partibus disseruerunt, primo loco nominandus est Aristoteles, cujus Poet. cap. XII huc spectat. Sed variae exstant de hujus libelli capite virorum doctorum sententiae, aliis subditicium esse et mutilum, aliis integrum censentibus ac genuinum[2]). Has vero sententias recensere totumque illud caput sub examen vocare, et longum est et abhorret a disputationis

[2]) cf. Kleinium, „de part. formisque, quibus tragoediam constare voluerit Aristot.“, in progr. gymn. Bonn. 1855 — 1856; — Leopoldi Schmidtii disput. „de parodi in trag. graec. notione“, Bonn. 1855, p. 4 seq.; — Th. Kockium in Jahnii Ann. vol. 75, 1857, 5.

institutae consilio. Hoc unum autem liceat mihi proferre, me, quamquam non dubito, quin genuinum sit et ab ipso Aristotele profectum, tamen facere non posse, quin assentiar iis, qui mutilum esse et falso loco insertum statuant. Quamobrem non possum a partibus stare Gepperti eam ob causam Aristotelem comoediae partes omisisse dicentis[3], quod formae tragoediae, quippe quae sint cujusvis dramatis solitae atque usitatae, ad comoediam quoque et ad drama satyricum spectent. Id num verum sit, infra apparebit. Praeterea vero superest una pars comoediae, parabasis, de qua infra sermo erit, a tragoedia aliena, nihilominus autem digna, de qua ille egisset. Ac dixerat Aristoteles in libelli de arte poetica scripti exordio, velle sese ἐκ πόσων καὶ ποίων μορίων sit ἕκαστον εἶδος τῆς ποιητικῆς ostendere, postquam autem priorem disputationis institutae partem (ἐκ ποίων) absolvit, affert quidem tragoediae μόρια κατὰ τὸ ποσόν idque satis simplici et jejuna expositione, comoediae vero partes describere omisit, quamquam in libelli exordio promiserat, se esse cujusvis poeseos generis partes et quales et quot sint, illustraturum. Quod autem promiserat philosophus, id profecto servavit. Itaque veri simillimum mihi videtur esse, caput illud XII. esse nescio quo iniquo casu mutilatum mutilumque ad nos perlatum.

Nostrae aetatis viri docti obiter tantum et quasi praetereuntes rem attigerunt, eamque ob causam hoc loco enumerare eos nolumus suo quemque loco infra laudaturi.

§ 2.

Generalis de partibus comoediarum disputatio.

Totum et comoediarum et tragoediarum argumentum ita descriptum est, ut una pars sit choro, histrionibus altera, tertia vero tam choro quam histrionibus attributa, quam commaticam vocant grammatici. Ceterum Aristoteles hasce tragoediae affert partes: πρόλογον, ἐπεισόδιον, ἔξοδον, χορικόν, quarum extremam in parodum et stasimon dividit. Simili modo grammatici in § 1. dissertationis nostrae laudati quatuor partes primarias comoediarum esse dicunt hasce: πρόλογον, χορικὸν, ἐπεισόδιον, ἔξοδον. Hisce partibus enumeratis Aristoteles non minus quam illi gram-

---

3) Die altgriechische Bühne, p. XIV.

matici breves addunt difinitiones, in quibus permagnam videre licet sententiarum discrepantiam. Ac primum quidem, quod ad Aristoteleas definitiones attinet, nemo non videt, eum tragoediae partes dividere in scenicas et thymlicas, quas dicunt; quapropter primo loco affert tres partes scenicas, prologum episodium exodum, hisce addit partem thymelicam (τὸ χορικόν). Multo minus accurate grammatici; nam allata primum parte scenica (πρόλογος) secundo loco ponunt τὸ χορικόν, tum alteram partem scenicam addunt (ἐπεισόδιον), quam postremo sequitur pars chorica (ἔξοδος), ita ut, si accurate rem pensitaveris, tres, non quatuor, partes illos enumerare invenies, quum secunda et quarta unam efficiant. Quam eandem enumerationem partium observat Tzetzes et in versibus technicis 11—17, et in commentario de comoedia prosa oratione conscripto § 5, quae eo magis mira videtur, quod idem in enumerandis tragoediae partibus multo subtiliorem sequitur rationem; ibi enim primum partes illas dividit εἰς σκηνικόν τι καὶ χοροῦ δὲ τὸν τρόπον, deinde illam addit enumerationem, quam antea, illustravimus. Sed magis etiam ipsae partium definitiones, quales exhibuere Aristoteles et grammatici, inter se differunt, quamquam de prologo fere consentiunt. Prologum enim Aristoteles esse dicit μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου, ac similiter scriptor commentarii ap. Bergkium No. VIII notati: πρόλογός ἐστι μόριον κωμῳδίας τὸ μέχρι τῆς εἰσόδου τοῦ χοροῦ, et alius: πρόλογός ἐστι τὸ μέχρι τοῦ χοροῦ λεγομένη ῥῆσις. Quae verba sine dubio corrupta sic fere restituenda esse videntur, ut primum post χοροῦ inseratur τῆς εἰσόδου, post articulum τὸ autem μέρος vel μόριον τῆς κωμῳδίας; quae denique sequuntur verba λεγομένη ῥῆσις, ea appositionis vice fungi eamque ob causam addita esse videntur, ut prologus, una e partibus scenicis, opponeretur cantilenis a choro cantatis. Itemque utrique consentiunt in definienda episodii notione, quod Aristoteli est μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν, cum apud grammaticum legamus: ἐπεισόδιόν ἐστι μέρος μεταξὺ μελῶν καὶ ῥήσεων δύο χοροῦ, qui quod χοροῦ μέλη et ῥήσεις internoscit, eo haud scio an significare voluerit, non omnia chori carmina esse cantata[4]).

---

[4]) Nihil ad nos, quod longe alio sensu vocabulum ἐπεισόδεον definiunt Suidas: τὸ εἰς τὰ δράματα εἰςαγόμενον κατὰ προσθήκην τινὰ καὶ αὔξησιν τοῦ δράματος, et Etym. M. p. 356, 29; cf. Bekk. Anecd. p. 353, 19: ἐπεισόδιον τὸ εἰςφερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν, ἔξω δὲ ὑποθέσεως ὄν, καταχρηστικῶς δὲ τὸ ἐξαγώνιον

Longe vero aliam atque Aristoteles exodi praebent grammatici explicationem; ille enim, ut jam supra diximus, exodum in numero habet partium scenicarum, quum sit μέρος ὅλον τραγῳδίας, μεθ' ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος, quodcontra illi exodum docent esse extremam chori dictionem, τὸ ἐπὶ τέλει λεγόμενον τοῦ χοροῦ (No. IX. ap. Bergk.) et τὴν πρὸς τῷ τέλει τοῦ χοροῦ ῥῆσιν, quocum consentit Tzetzes l. l. v. 17. et in comment. περὶ κωμ. in Mus. Rhen. Nov. VI. p. 114[5]).

Quodsi haec omnia, quae modo disseruimus, complectimur atque consideramus, primum apparebit, Aristotelis definitiones subtilitate et acumine praestare reliquis magisque esse dignas philosopho, quoniam ipsum dramatum argumentum in examen vocant, neque ut grammaticorum illorum definitiones superficiem quasi rerum attingunt, deinde utriusque generis definitiones diversis esse temporibus assignandas[6]).

Denique memorandum est, non omnibus temporibus sed excultae tantum poeseos comicae aetate comoediam ex illis quatuor partibus constitisse. Etenim histrionibus choro nondum adjectis, aberant etiam partes scenicae; sublatis contra ornamentis istis, quae in chori carminibus inveniri solent, nihil fere nisi scenicae partes supererant.

Sed jam satis est, haec in universum de comoediae partibus disputasse; itaque ad singulas partes perquirendas transeamus. Ac primum quidem de chori carminibus, quippe quae sint primitiva pars comoediae et quibus sint circumscripti fines partium scenicarum, disputationem instituere placet; et primo loco agemus de parodo et epiparado.

§ 3.

De parodo.

Parodi in illis grammaticorum commentariolis, quos § 1 laudavi, nulla prorsus fit mentio, neque omnino discernitur inter va-

---

ἅπαν πρᾶγμα. Quamquam probe scio, episodia, quae proprie vocantur, dramatis, eam ob causam ita esse appellata, quod inter carmina interponerentur, non autem dramati, quod augerent, adderentur.

5) cf. schol. Vesp. v. 270; Poll. IV, 108; Suid. v. ἔξοδοι νόμοι.

6) cf. Geppertum, l. l.

ria chori carmina, nisi quod ad unam parabasin illi animos advertunt. Ceterum satis habent attulisse τὸ χορικόν idque sic explicasse: τὸ τοῦ χοροῦ μέλος ᾀδόμενον[7]), ὅταν ἔχῃ μέγεθος ἱκανόν, de quo loco statim sermo erit. Praeterea parodo varia nomina et recta et falsa esse attributa, elucet e vita Aristoph. § 36, ubi haec leguntur: — ἐκαλεῖτο δὲ ἡ εἰσέλευσις εἴσοδος καὶ ἐπήλυσις καὶ ἐπίβασις Sed sicut omnino fere nihil ex horum grammaticorum scriptis ejusmodi est, ut comprobari possit nisi rejectis antea in transitu variis gravibusque erroribus: ita hic quoque locus continet, quae refelli necesse est. Eo enim falsus est, quisquis est, qui illa scripsit, quod παράβασιν cum parodo chori commiscuit, quod idem factum esse videmus in Tzetzae versibus 21 et 22 et in comment. de comoed. ap. Bergk. No. VIII § 31: ἡ δὲ ὅλη πάροδος τοῦ χοροῦ ἐκαλεῖτο παράβασις[8]). Solent enim hi grammatici saepenumero e vocabulorum etymologia rerum explicationes repetere, qua in re mirum non erit, quod interdum vocis cujusdam sono decepti falsa proferunt. —

Jam vero quaerentibus nobis, quid sit parodus, quum non succurrant grammaticorum s. l. scripta, non possumus, quin ab iis consilium repetamus, qui de tragoediarum parodis disseruerunt. In his primus parodi notionem exposuit Aristoteles l. l. hisce verbis: χορικοῦ δὲ πάροδος μὲν ἡ πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ, ad quem locum Aschersonius[9]) affert argument. Aesch. Pers.: τῶν δὲ χορικῶν τὰ μέν ἐστι παροδικά, ὡς ὅτε λέγει, δι' ἣν αἰτίαν πάρεστιν, κ. τ. λ. et schol. Eur. Phoen. v. 202 πάροδος δέ ἐστιν ᾠδὴ χοροῦ βαδίζοντος ἅμα τῇ ἐσόδῳ et Poll. Onom. IV, 108, denique Tzetzem de trag. v. 35 seqq. Ex his et aliis locis, quos afferre longum est, recte mihi videtur Aschersonius l. l. tria potissimum parodi insignia vel tres notas elicuisse: 1) parodum esse totius[10]) chori carmen

---

7) Sic recte Bergkius edit I. p. IX, vulgo διδόμενον.

8) Cf. Bodium. Geschichte der hell. Dichtkunst tom. II 2 p. 275.

9) In docta dissertat. inaug. de parodo et epiparodo trag. graec. Berol. 1856, cui plurimum me debere, hoc loco aperte profiteor.

10) Varie haec res vexavit viros doctos; equidem eam verborum Aristotelis ὅλου χοροῦ probaverim explicationem, quam protulit G. Bernhardy. hist. litt. Gr. vol. II b. p. 225 edit. II, et comprobavit Aschersonius l. l. p. 7, quem videas. Ceterum cf. L. Schmidtii dissertat. s. l. p. 11, O. Muellerum in Mus. Rhen. V, 361. Miram sane illorum Aristotelis verborum interpretationem protulit F. Heimsoethius (Vom Vortrage des Chores in d. gr. Dramen, Bonn 1841), qui, quum in libro suo parum modesto judicio conscripto id imprimis ageret, ut nunquam choragum pro choro verba fecisse

primum; 2) parodum cum prima chori εἰσόδῳ conjunctam esse; 3) chorum in parodo dicere, quis qua causa et unde veniat, δι' ἣν ἀφορμὴν ἡ χοροῦ κοινωνία. (Cf. schol. Soph. Antig. v. 100: τὰς προφάσεις τῶν τῶν χορῶν εἰσόδων πιθανὰς εἶναι δεῖ).

Atque ad illam quidam quam primo loco posuimus parodi normam fortasse referendum est, quod legitur in comment. de comoedia ap. Bergk. No. XI § 8: χορικόν ἐστι τὸ ὑπὸ τοῦ χοροῦ μέλος ᾀδόμενον, ὅταν ἔχῃ μέγεθος ἱκανόν, verba ea quidem parum distincte quid sibi velint exprimentia. Nec minus in parodum cadit, quod, quamvis inepte, Tzetzes de universo chori carmine profert in comment. de com. 5 (Mus. Rhen. Nov. VI, p. 114): ἡ δὲ ἅμα τῇ εἰσόδῳ τοῦ χοροῦ λεγομένη ῥῆσις μέλος καλεῖται χοροῦ,[11]) in quo parum accurate dictum esse λεγομένη ῥῆσις, vix dignum est, quod commemoretur.

Verum enim vero omnia illa, quae supra prolata sunt, ad tragoediarum parodos spectant, quare singulas deinceps comoediarum Aristophanearum parodos perlustrantes quaeramus, utrum in has quoque cadant illae regulae necne.

Ac primum quidem loquamur de iis parodis, quae e stropha et antistropha constant, qualis est parodus in Nubibus v. 275, quam agnoscit schol. Vesp. v. 270 hisce verbis: τῶν χορικῶν τὰ μέν ἐστι παροδικὰ, ὡς τὸ „Ἀέναοι νεφέλαι ἀρθῶμεν φανεραί“ καὶ τὸ προειρημένον ἐνταῦθα „Χώρει πρόβαιν' ἐρρωμένως“, τὰ δὲ στάσιμα. Contra schol. Nub. v. 275 hujus parodi non habet rationem haec verba afferens: ἡ ἐπεισόδιος αὕτη στροφὴ καὶ ᾠδὴ τοῦ χοροῦ κ. τ. λ. Sed mecum v. 275 parodum incipere censet Th. Kockius (in editionis, Lipsiae 1852 juris publice factae praefat. p. 19) et C. Reisigius (in edit. praef. p. XXXIV). Quomodo vero accipiendum sit, quod legitur in libro Rossbachii et Westphali de metrica poet. graec. arte tom. III p. 108, not. 1, tetrametros anapaesticos in comoediarum parodis non inveniri, nisi in Nub. v. 263 et in Ran. v. 354 id prorsus me nescire aperte profiteor, versus enim inde a 263 a Socrate recitantur, neque a quoquam choro tribuuntur, ac praepa-

demonstaret, p. 67 seq. parodum ex Aristotelea definitione ita interpretatur, ut sit chori carmen primum eorum omnium, quae omnino chorus in fabula canat. Sed vereor, ut haec quisquam credat; nunquam enim Aristotelem omnia ea, quae chorus canit, ὅλον χορόν dixisse mihi persudebit Heimsoethius.

11) Sic quoque corrigenda vel supplenda sunt verba mutila in comment. de com. ap. B. VIII, 29: μελός καλεῖται χοροῦ, quae per se nullum praebent sensum.

ratur quidem verbis Socatis εὐφημεῖν jubentis chori parodus, sed ipsa inde non incipit. Porro hanc parodum a toto choro[12]) esse cantatum, vix dubium esse potest sed ita, ut chorus esset in hemichoria divisus, quorum alteri stropha, antistropha alteri esset. Jam vero difficilius dictu est, num haec parodus sit ἅμα τῇ εἰσόδῳ τοῦ χοροῦ cantata? Chorus dum canit stropham et antistropham non esse in orchestram ingressum, facile apparet e Strepsiadis verbis v. 322: εἴ πως ἔστιν, ἰδεῖν αὐτὰς ἤδη φανερῶς ἐπιθυμῶ, ad quae Socrates eum jubet ad Parnatem montem vultus convertere, unde illae descendant, nec tum eas conspicienti Strepsiadi ille Nubes διὰ τὴν εἴσοδον ingredientes digito demonstrat (cf. schol. 275). Quae dum geruntur jamdudum auditum est chori carmen, quod quin ante ingressum sit cantatum, vix dubium esse potest; nihilo autem minus est pro parodo habendum, nam quod de tragoediarum parodis monuit Aschersonius l. l. p. 13, „illud ἅμα τῇ ἐσόδῳ non ita premendum esse, ut censeatur, omnes parodos inter ipsum incedendum esse recitatas et a primo ingressus momento." id si in comoedias, quippe quae majores etiam quam tragoediae admittant libertates, adhibeamus, multo minus angustis finibus circumscribendum est. Quae cum ita sint, adstipulari non possum Kannegiessero l. l. p. 340, hanc parodum parachoregema, quod vocant grammatici, dicenti, neque Koestero[13]) idem contendenti. Praeterea mihi memoratu dignum esse videtur schol. v. 344 hoc: Εἰσεληλύθασι γὰρ οἱ τοῦ χοροῦ προσωπεῖα περικείμενοι μεγάλας ἔχοντα ῥῖνας καὶ ἄλλως γελοῖα καὶ ἀσχήμονα· διόπερ φησὶν εἰκότως αὐτὰς μὴ ἑωρακέναι, διὰ τὸ μὴ νεφελῶν ἀλλὰ γυναικῶν ὄψεις ἔχειν. Quodsi huic scholio fides habenda est, uti ego credo, facile rem expedias, nam ingressus quidem erat chorus, nec vero a Strepsiade chorus Nubium habitus, atque huc quoque illud φανερῶς ἰδεῖν v. 322 referendum esse videtur. Ingreditur autem chorus in orchestram, non in scenam, quod falso tradit schol. v. 344, nisi forte hanc vocem omnino de theatro parum accurate dictam esse credas, quod a grammaticis et scholiastis saepissime factum est. Nam in comoedia quoque sicut in tragoedia orchestra proprius chori lo-

---

12) XXIV choreutarum (cf. Vit. Aristoph. § 16; Schol. Av. 598; Ach. 210; Eq. 286; Poll. IV, 109; Suid. v. χορός; Vit. Aeschyl. ap. Rabortell; Bekkeri Anecd. p. 746; Tzetzae proleg. ad Lycoph. p. 234.)

13) in libello infra laudando p. 3.

cus erat[14]). Quare recte mihi videtur G. Hermannus[15]) Welckeri opinionem rejecisse, ex machinis descendisse chorum in latere scenae. Est enim illa εἴσοδος, cujus v. 326 fit mentio, introitus in orchestram (ἡ κάτω πάροδος), neque ulla exstat causa, cur chorum descendisse in scenam statuamus, quamvis interdum[16]) ibi quoque appareat, sed ita fere semper, ut ex orchestra in scenam ascenderit[17]) et paullo post orchestram repetat, quoniam angusta scena non erat idoneus locus, ubi commode saltaret. Advenit denique chorus, atque ita tertiae legi de parodo propositae satisfacit, a Socrate solemniter advocatus, et quis sit, unde ad Cecropis amoenam venerit planitiem declarat. Nec vero statim cum historibus in parodo verba serit, id quod omnino haud ita saepe fieri solet, quare in parodum non quadrat, quod legitur in comment. περὶ κωμ. ap. Bergk. VIII, § 31: εἰσελθὼν οὖν ὁ χορὸς εἰς τὴν ὀρχήστραν μέτροις τισὶ διελέγετο τοῖς ὑποκριταῖς καὶ πρὸς τὴν σκηνὴν ἑώρα τῆς κωμῳδίας, quae verba anonymus ille scriptor eam ob causam attulisse videtur, ut parabaticam chori stationem melius illustraret.

Huic parodo forma non dissimilis est parodus in Avibus, quae v. 310 incipit, postquam aves ab upupa advocatae jam inde a v. 296 ingredi coeperunt. Haec quoque parodus e stropha et antistropha constat, nec vero ita, ut antistropha statim sequatur stropham, sed aeque atque in Nubium parodo paucis actorum chori ingressum admirantium verbis interjectis, quae tamen ne a choro quidem percipiuntur neque ejus carmen separant vel turbant, sed simillima sunt iis verbis, quae in nostris quoque fabulis ab histrionibus tecte et secreto ad spectatores dicuntur.

Praeterea haec parodus, de qua agimus, et eam ob causam memorabilis est, quod choreutarum numerus singulis avibus nominatim enumeratis dilucide perspicitur. Sed jam quaeritur, quidnam fiat de illis quatuor avibus, quae ante chori ingressum quasi avium agmen ducunt quasque ἐν περιττῷ ληφθῆναι schol. v. 297 dicit, e XXIV choreutis totum chorum constare affirmans. Haec

---

14) cf. περὶ κωμ. ap. Bergk. VIII § 29, 36.

15) vid. ejus edit. adnot. ad v. 322.

16) uti in Pace v. 427, ubi chorus in scenam ascendit, unde post v. 728 in orchestram redit. Cf. R. Enger. in Mus. Rhen. Nov. IX, 1854 p. 571.

17) Poll. IV, 126.

difficultas ita facillime removeri posse videtur, ut quatuor illas aves praegressas, postquam per orchestram provolaverint, rursus evanuisse statuamus. Ipsum autem chorum κατὰ στοίχους[18]) distributum ingressum esse, concludi posse credo e vv. 302 sqq., quibus quatuor versibus artificiose poeta XXIV illa avium nomina ita complexus est, ut quisque versus sex nomina nulla particula conjuncta contineat. Aliter, Bodium[19]) judicare video, qui e vv. 307 sqq. parodum σποράδην factam esse demonstrare studet. Nec vero id e versibus illis sequitur, quod vir doctus inde collegit; potuerunt enim aves κατὰ στοίχους dispositi procedere, deinde vero omissis ordinibus, priusquam certam occuparent stationem, orchestram percurrere. — Numeris composita est haec parodus anapaesticis spondiacis admisso etiam proceleusmatico, quos sequuntur versus cretici, ita ut carmen optime conveniat cum chori vehementer concitati et impetum molientis conditione, sicuti dactylici numeri, quibus Nubium parodus constat, optime significant solemnem et gravem dearum, quae a Socrate finguntur, incessum atque ita risui inserviunt. Praeterea strophae aeque atque antistrophae in Av. additi sunt bini trochaici tetrametri catalectici, qui cuinam sint tribuendi subdubitari potest. Mihi verisimillimum esse videtur, hos versus esse a coryphaeo recitatos[20]); nec vero id scholiasta putasse videtur, qui ad v. 343 haec affert: Παρακελεύονται ἑαυτοῖς ὡς ἐν πολεμικῇ παρατάξει βουλόμενοι κατ' αὐτῶν ὁρμῆσαι.[21]) Sed de his infra.

Aliam seriem parodorum eae efficiunt, quae ex strophis et antistrophis compositae sunt antecedentibus vero vel interpositis coryphaei systematis anapaesticis, trochaicis, jambicis, ad quam seriem referendae sunt hae: Ran. 324; Ach. 204; Eccl. 285; Lys. 254.

Atque anapaestorum quidem in parodis tragoediarum rarissimus usus, nam semel inveniuntur in iis, quae supersunt, comoediis in Ranarum parodo. Nam anapaesti, quoniam chori tragici gravitatem et μεγαλοπρέπειαν optime depingunt, eam ob rem proprium locum habent in parodis tragoediarum. Antiquior enim tragoedia, in qua multo majoris momenti erat chorus quam postea,

---

18) Poll. IV, 16.

19) l. l. p. 284.

20) cf. Rossbach. l. l. p. 199.

21) cf. G. Hermanni elem. doctr. metr. p. 492, et ejusdem praef. Herc. fur. p. XV Suppl. p. XVII. Rossbach l. l. p. 199.

statim ab ingressu spectatoribus eum summa excellentem magnificentia summoque apparatu ostendere solet. Tanta vero magnificentia tantaque gravitas in choro comico spectanda non est, cujus levitas et volubilitas magis adaptata est levioribus numeris jambicis et trochaicis. Sed de his infra sermo erit, postquam paucis illustraverimus Ranarum parodum, quae varias nobis offert difficultates.

Eam v. 209 incipere recte negat schol. ad. h. v.: ταῦτα δὲ καλεῖται παραχορηγήματα, ἐπειδὴ οὐχ ὁρῶνται ἐν τῷ θεάτρῳ οἱ βάτραχοι, οὐδὲ ὁ χορὸς, ἀλλ' ἔσωθεν μιμοῦνται τοὺς βατράχους, ὁ δὲ ἀληθῶς χορὸς ἐκ τῶν εὐσεβῶν νεκρῶν συνέστηκεν (cf. schol. 324). Carmen autem illud ranarum ab iisdem personis cantatum esse, quibus postea mystarum chorus constat, et verisimillimum est et confirmatur a schol. Ravennate v. 324. Parodum incipere v. 324 mecum consentit Th. Kockius[22]). Sed inde ab hoc versu quum amplissimus sequatur carminum complexus, permultum interest definire, ubinam parodi sit finis statuendus. Hunc Kockius l. l. esse dicit v. 353, ut parodus e stropha et antistropha constet pauca interloquentibus actoribus (324—326 = 340—353), quod idem factum esse vidimus in parodis Nub. et Av. Reliqua vero chori carmina a parodo aliena esse Kockius putare videtur. Mihi secus videtur et adoptare placet Bodii[23]) sententiam, totum illum pulcherrimorum carminum complexum inde a v. 324 usque ad v. 459 parodum esse contendenti, artificiosissime eam quidem a poeta conformatam. Nam antiquioribus temporibus poetas rebus orchesticis et choro plus tribuisse quam postea, ubi chorus magis magisque imminutus est, neque esse parodos in anapaestorum et trochaeorum angustias compellendas recte mihi contendisse videtur Aschersonius[24]). Neque Aristotelem id fecisse puto, uti Gepperto[25]) videtur. Nam opponit quidem Stagirita parodum stasimo, quod carmen esse dicit ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου, unde sequitur, haec metra proprie referenda esse ad parodum, nullo vero pacto, nullis nisi his numeris constare posse parodos. Sed jam ad mystarum parodum redeamus. E virorum doctornm, qui in illu-

---

22) In edit. Berol. 1856. praef. p. 35.

23) l. l. p. 277; idemque censet Rossbachius l. l. p. 203.

24) l. l. p. 23.

25) l. l. p. 222.

strandis illis carminibus versati sunt[26]), explicationibus, adumbrari illis diem festum, Boedromionis XX, sive pompam Jacchi, intelligitur. Quare omnia illa carmina, e quibus parodum constare diximus, imaginem cum praebeant illius pompae solemnis, quae ad celebranda Eleusinia ab Atheniensibus agi solebat, non possunt bene dirumpi. At forte quis credat, singulorum hominum vellicationes, quales insunt in anapaestis (354—371) abhorrere a parodi conditionibus, quare exstitere, qui illos versus parabasin esse contenderent[27]), id quod parum mihi probatur. Etenim primum quidem factam esse ad spectatores parabaticam conversionem nusquam apparet, deinde parabasibus locus non est, nisi ubi histriones decesserunt et quaedam quasi pausa intercessit fabulae, quorum neutrum cadit in hos versus. Accedit, quod carmen non eos habet comites, qui solent justam parabasin et sequi et antecedere, μακρὸν et κομμάτιον. Denique nunquam in initio fabulae invenitur parabasis, sed tum demum, cum actio ad certum quendem finem vel gradum producta est. Quibus argumentis commotus anapaestos illos non ad spectatores, sed ad mystas dictos esse contendo[28]). Recitabantur autem illi versus anapaestici a coryphaeo[29]), qui chori carmina sequentia hic illic paucis versibus interrumpit (cf. v. 370), chorum autem inter recitandum pompam egisse circa thymelen est verisimillimum[30]). Ficta denique videtur illa coryphaei oratio ad similitudinem praefationis ejus, quae in Eleusiniis a praecone praedicabatur, eamque ipsam ob causam uni coryphaeo videtur esse assignanda[31]).

Ac tanta carminum copia, ut hoc extremo loco commemorem, quin omnium choreutarum requisiverit vires, nemo sane dubitabit. Adest vero chorus, ut Baccho ejusque comiti viam demonstret, quae saepissime est causa chori progredientis, quamquam nolo id ita aliquis accipiat, hanc solam fuisse causam.

Frequentior quam anapaestorum in parodis comicis trochaeorum

---

26) cf. Fritsche edit. Ran. et Meieri comment. de Ran. in ind. schol. Universit. Hal. 1836, 1837, 1851, 1852.

27) cf. schol.; Kannegiesser l. l. p. 363; O. Mueller. in Mus. Rhen. V. p. 346. Rankius in vit. Aristoph., quae praefixa est Meinekii editioni p. XLVII.

28) cf. Kolster. de parab. p. 29 et Meieri commentat supra l. 1851. p. VII.

29) Primus id docuit A. Boeckhius in Act. Acad. Berol. 1824, p. 86.

30) cf. Rossbach. l. l. p. 101.

31) cf. schol. 354.

usus est, uti jam supra dictum. Optime enim hoc metro, cui prorsus deest tragica illa σεμνότης[32]), chori comici ingredientis depingitur festinatio et celeritas[33]). Atque ejusmodi parodus est in Acharn. v. 204, ubi hoc vetus scholiastae extat testimonium: ἐντεῦθεν ἡ πάροδος γίγνεται τοῦ χοροῦ, ὃν συμπληροῦσιν οἱ Ἀχαρνεῖς· παράγονται δὲ συντόνως μετὰ σπουδῆς διώκοντες τὸν Ἀμφίθεον σπονδὰς ποιησάμενον πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους· γέγραπται δὲ τὸ μέτρον τροχαϊκὸν, πρόσφορον τῇ τῶν διωκόντων γερόντων σπουδῇ· ταῦτα δὲ ποιεῖν εἰώθασιν οἱ τῶν δραμάτων ποιηταὶ κωμικοὶ καὶ τραγικοὶ, ἐπειδὰν δρομαίως εἰσάγωσι τοὺς χοροὺς, ἵνα ὁ λόγος συντρέχῃ τῷ δράματι. Nostrum non est hoc loco quaerere, utrum in tragoediarum uti in parodis comoediarum talia systemata inveniantur necne, illud vero monendum est, me non adoptare Aschersonii[34]) sententiam, vocem εἰσάγωσι non necessario esse ad parodos referendam contendentis, nam ubi choro celeriter incurrendi fuit in fabulis occasio nisi in parodis et exodis? praeterea scholiastam illam vocem ad parodos rettulisse, jam eam ob causam statuendum est, quod paullo ante parodi fecerat mentionem. Sed redeamus ad parodum Acharn., quae ita est conformata, ut quotuor trochaicorum tetrametrorum catal. systema stropham praecedat, totidemque versuum systema antistropham, quam denique sequitur trochaicum systema trium versuum. Quae systemata omnia aeque ac systemata anapaestica in tragoediarum parodis coryphaeo tribuenda sunt. Similem fere speciem praebent eae parodi antistrophicae, quibus addita sunt jambica coryphaei systemata, cujus generis duo apud Aristophanem exstant exempla in Lysistrata v. 254 seq. et in Ecclesiazusis v. 285 seq., quamquam negari nequit, multo minus exprimi tetrametro jambico catalectico chori ingredientis festinationem quam tetrametro trochaico. Parodus chori in Lysistrata praeterea eam ob causam memoratu digna est, quod a duobus choris sibi infestis facta est. Et primum quidem chorus senum ingreditur ductus a coryphaeo socios, ut strenue procedant, adhortante, atque stropham et antistropham canens festinat per orchestram. Hunc senum chorum, sine dubio e XII

---

32) Aristot. rhetor. III, 8, poet. 4. τροχερὸς ῥυθμὸς, κορδακικώτερος, σατυρικὸς, ὀρχηστικώτερος.

33) cf. Mar. Victor. 2530: aptum festinis narrationibus, est enim agitatum et volubile.

34) l. l. p. 25.

choreutis compositum, et ipsum fuisse bipartitum verisimile est propter antistrophicas carminum rationes. Deinde, v. 319 feminarum chorus in orchestram incedit, ut ignem, quem senes incensuri sunt vel jam incenderunt, 'exstinguant. Ad h. v. schol. haec affert: νῦν ἐστὶν ἡμιχόριον τὸ λέγον ἐκ γυναικῶν εἰσερχομένων ἄνωθεν, τὸ δὲ ἄλλο ἡμιχόριον ἐξ ἀνδρῶν κάτωθεν ἐπερχόμενον ταῖς ἐν τῇ ἀκροπόλει εἰς πολιορκίαν. Credit igitur, quicunque hoc scripsit, alterum hemichorium in scena, in orchestra alterum fuisse collocatum, quod parum mihi probatur, nam ubi alterum hemichorium fuit, ibi alterum quoque fuerit necesse est, praecipue vero hac in fabula, ubi e v. 360 seq. manifesto concludi potest, senum et feminarum hemichoria stetisse sibi proxima. Neque illa scholiastae opinio firmatur vv. 286 seq., e quibus fortasse quis conjiciat, senum hemichorium ascendisse in scenam, quae acropolin vel potius propylaea repraesentabat. Quod intendisse senes non nego, sed quominus propositum exsequerentur, a feminis sunt prohibiti.

Similis huic parodo est parodus in Ecclesiazusis v. 285, e systemate jambico et stropha et antistropha ea quidem composita. Sed chorus hanc parodum canens non uti in reliquis fabulis procedit certam in orchestra stationem occupaturus et actioni interfuturus, sed transit tantum et paullo post decedit ad concionem profectus. Conjuncta est igitur cum parodo μετάστασις[35]), quam veteres vacant, cujus in tragoediis exempla inveniuntur multa[36]). Versu demum 479 chorus rursus revertitur et incipit epiparodus, quam nihil aliud esse credo nisi secundam chori, sive ejusdem, sive alterius parodum; quamvis aliter de epiparodi natura statuere sciam Tzetzem in vv. de trag. poes. v. 43 et 53 et scriptorem anonymum commentarii ap. Cramer. Anecd. Paris. I, 20, epiparodum esse δευτέρου sive ἄλλου χοροῦ ἔλευσιν contendentes, contra quod Pollux l. l. ab eodem choro epiparodum fieri judicat. Itaque parum interesse credo, utrum parodus ab eodem an ab altero choro fiat, neque dubito, quin rectum sit, quod de epiparodo suspicatus est Aschersonius l. l. p. 30. Est igitur epiparodus carmen illud Eccl. v. 478, quam meam sententiam a Rossbachio (l. l. p. 199) quoque video esse prolatam. Similiter ac parodus haec epiparodus e stropha constat, quibus praemissum est systema jambicum.

---

35) cf. Poll. IV. 108.

36) Ascherson. l. l. p. 28 seqq.

Singulari conditioni est parodus in Thesmophoriazusis v. 313, non enim servata est ratio antistrophica. Fuere quidem, qui stropham et antistropham efficere conarentur, sed parum recte, quum metra utriusque carminis usque eo inter se discrepent, ut nihil propemodum in utrisque conveniat (cf. Fritschii edit. Thesm. v. 312. Neque ad eam parodorum seriem haec parodus referenda est, quas systematicas dixeris. Praeparatur parodus praeconis verbis εὐφημεῖν jubentis chorumque ut singulos deos invocet adhortantis. Quod postquam fecit chorus, iterum sequuntur praeconis verba, quibus sese applicat alterum chori carmen, non iisdem numeris ac prius conscriptum. Nec vero caremus suspicione, hanc parodum esse ex parte spurium[37]), praesertim quum aliae quoque hujus suspicionis exstent causae, ex argumento eae quidem profectae.

Sed jam ad tertiam parodorum classem transeamus, scilicet earum, quae e systematis ἐξ ὁμοίων, quae dicuntur, compositae sunt non adjectis partibus antistrophicis.

Recitatos esse illos tetrametros sive anapaesticos sive jambicos sive trochaicos a coryphaeo, supra dictum est, idemque censere video Rossbachium l. l. p. 199. Quamquam libere profiteor, me hac in re ab omni dubitatione minime esse liberatum. Ad totum chorum talia systemata non esse referenda, satis constare mihi videtur. Restat igitur, nisi coryphaeo ea tribuamus, aut ut a partibus chori recitata esse statuamus, sed ita, ut totius chori vires adhiberentur. Atque haec quidem scholiastarum opinio fuisse videtur, qui saepissime, ubi talia inveniuntur systemata, adscribunt verba qualia sunt: οἱ τοῦ χοροῦ παρακελεύονται ἀλλήλοις, (cf. schol. Av. 343, Ran. 372, 440 etc.) Unum illud systema anapaesticum in Ranarum parodo a solo coryphaeo esse recitatum, satis superque constare mihi videtur (cf. Ran. v. 370).

Dubitatio illa, cujus modo mentionem fecimus, non minus in eas cadit parodos systematicas, quales videmus in Vespis v. 230, in Pace 301, in Equitibus 247. Has parodos a singulis deinceps choreutis, aut a chori partibus esse cantatas, mihi quidem verisimillimum esse videtur. Atque illa quidem parodus, quam primo loco attulimus, scripta est tetrametris trochaicis catalecticis, quos

---

[37]) Spurium dixit carmen v. 352—371 A. Meinekius; vid. ejus edit. (Lipsiae 1860) II. praefat. p. XVIII.

sequuntur tetrametri jambici syncopa admissa a coryphaeo et a puero facem praeferente invicem recitati. Simul haec Vesparum parodus exoptatam praebet inquirendi occasionem, utrum parodum statim sequi possit primum stasimon, an interjecto demum episodio, quod in tragoedia, quum omnino simus hac in re veterum testimoniis destituti, ab aliis negatur, ab aliis conceditur. Conceditur autem imprimis ab iis, qui parodi notionem finibus circumscribunt nimis angustis. Sed haec res nihil ad nos.

Vesparum parodum statim excipit carmen, quod stasimon esse dicit schol. v. 270 hisce verbis: πρὸ τῶν θυρῶν τοῦ Φιλοκλέωνος στάντες οἱ τοῦ χοροῦ τὸ στάσιμον ᾄδουσι μέλος· τῶν γὰρ χορικῶν μελῶν τὰ μέν ἐστι παροδικὰ, ὡς τὸ (Nub. v. 276) „Ἀέναοι νεφέλαι ἀρθῶμεν φανεραί“, καὶ το προειρημένον ἐνταῦθα „Χώρει πρόβαιν᾽ ἐρρωμένως“, τὰ δὲ στάσιμα, ὡς τὸ παρόν κ. τ. λ. In explicanda stasimi natura magna est inter viros doctos exorta dissensio, nec nostrum est, hoc loco fusius de hac re disputare; id unum attulisse sufficiat, me non adoptare veterum grammaticorum et scholiastarum sententiam, stasimon esse carmen chori ἀκινήτου μένοντος (cf. schol. Eurip. Phoen. v. 210, Etym. M. p. 726, 2, Suid. s. v. στάσιμον), sed eam potius sequi doctrinam, quam proposuit Kolsterus l. l. p. 11. seq.[38]), parodum esse carmen chori stationem certam in orchestra petentis, stasimon vero eam tenentis. Quare minime a stasimo omnem saltationem alienam fuisse credo, quamquam verisimillimum esse videtur, non praevaluisse eam, quod idem suspicatus est Bernhardy. hist. lit. Gr. II. 2. edit. II. p. 225.

Chorus comicus aeque ac tragicus facta parodo certam in orchestra obtinet stationem, nihilominus autem nusquam nisi a schol. Vesp. 270 stasimi in comoedia video mentionem fieri; huic vero scholio non nimis auctoritatis tribuerim. Abest enim a codicibus Ravennate et Veneto, longe iis quidem omnium antiquissimis et praestantissimis. Huc accedit, quod in scholiis dijudicandis haec lex valeat necesse est, ut imprimis quaeramus, utrum ex ipsis scriptoris verbis deducta sit scholiastae doctrina, an aliunde petita. Ex his illud scholiorum genus parvi aestimandum est, quum nobis idem e verbis illis eodem jure concludere liceat, hujus vero generis

---

[38]) cf. schol. Eurip. Hecub. 647 ἰστέον μὲν ὅτι τὴν μὲν στροφὴν κινούμενοι πρὸς τὰ δεξιὰ οἱ χορευταὶ ᾖδον, τὴν δὲ ἀντίστροφον πρὸς τὰ ἀριστερὰ, τὴν δε ἐπῳδὸν ἱστάμενοι ᾖδον.

scholiis fides habenda est, nisi aliis iisque gravissimis commovemur argumentis, ut rejiciamus.

Quod ad hoc scholion attinet, facile quivis intelliget, nihil memoratu dignum id continere, nisi quod ipsi e poetae verbis eodem modo elicere possimus:

— ἀλλά μοι δοκεῖ στάντας ἐνθάδ', ὦνδρες,
ᾄδοντας αὐτὸν ἐκκαλεῖν, ἥν τί πως ἀκούσας
τοὐμοῦ μέλους ὑφ' ἡδονῆς ἑρπύσῃ θύραζε.

Quae cum ita sint, sane suspectum mihi videtur illud scholion, nec minus suspectum, scholiastas stasima, si quae sunt in comoediis, prorsus silentio praeterisse. Quare, si conjecturam proferre in medium licet, equidem stasima, a comoediis omnino aliena, ad tragoedias solas referenda esse censeo. Comoediarum enim carmina lyrica non sine alacri et concitata saltatione, quam quidem alienam fuisse a tragoediarum stasimis supra suspicati sumus, cantata esse verisimillimum est.

Itaque quum omnino abesse a comoediis stasima mihi quidem persuasum sit[39]), facere non possum, quin statim parodum excipere posse stasimon eodem modo negem, quamvis aliter judicante Bergkio in comment. de reliqq. com. att. antiq. p. 31. Quomodo autem appellata sint carmina illa in comoediis, quae stasimorum munere fungebantur, me nescire aperte profiteor, quum nihil de hac re a veteribus grammaticis memoriae sit traditum. — Sed jam redeat unde deflexa est oratio, nam superest, ut pauca de parodo in Pluto fabula afferamus. Docta est haec fabula Ol. 97, 4,[40]) atque ita incidit in infausta illa tempora, quibus Athenienses victi opibusque privati veterem Graeciae principatum libertatemque amiserant, neque poesis comica, qualis antea fuerat, ferri amplius poterat. Itaque cum argumentis simul mutata est externa fabularum species, quae ipsa in civitate paupertatem regnare jam docet.[41]) Evanuerunt enim pulcherrima ista comoediarum ornamenta, scilicet carmina chorica,

---

[39]) Th. Kockius, in Nubium editione a. 1852 in medium prolata, p. 150 et 151, ubi metrorum lyricorum schema describit, singula stasima affert; contra in posterioribus Equitum (1853) et Ranarum (1856) editionibus nullam stasimorum fieri video mentionem, sed satis habuit vir doctus simpliciter „χορικόν" adnotasse. Num forte Kockius a pristina opinione animum revocavit?

[40]) cf. Rankii Vit. Aristoph.

[41]) cf. Platon. περὶ διαφ. κωμ. 15. Vit. Aristoph. § 11.

quum paupertas comicis choris infesta immigrasset, chorusque „turpiter obticuit sublato jure nocendi.“

Nihilo autem minus mirandum est, Plutum sublato choregorum munere habere chori cantica, quoniam cum choregia non simul omnes chori partes e comoediis esse sublatas satis certum videtur.[42]) Neque cum Brunckio[43]) et, qui primus hanc sententiam protulit, cum L. Kustero, carmina illa e priore Pluto in posteriorem translata esse censeo, quamquam bis actam esse hanc fabulam satis constat. Atque ita in Pluto quoque fabula parodum videmus chori cum carminibus antistrophicis conjunctam (v. 290 seq.).[44]) Sed haec parodica carmina non ita comparata sunt, ut stropham chori excipiat ejusdem antistropha, sed ita, ut strophas a choro cantatas sequantur antistrophae Carionis, personae scenicae, quod quidem parodorum genus commaticum dici solet. Ceterum videas de his parodis Aschersonii dissertationem s. l. p. 8.

§ 4.

De parabasi.

Uberius quam de reliquis comoediae partibus veteres grammatici[45]) de parabasi, carmine illo et comoediae proprio et quod valde delectatione alliciat, egerunt, et nostri quoque temporis viris doctis[46]) fuit provincia, in qua acumen exercerent. Itaque sufficiet, hoc loco breviter ea protulisse, quae pro certo poni possunt earumque rerum fecisse mentionem, de quibus aliter nobis atque illis visum.

Ac primum quidem quaerentibus nobis parabaseos naturam monendum est, choreutas, dum histriones in scena agunt et in tra-

---

42) cf. Fr. Ritterum, de Aristophanis Pluto, Bonnae 1828.

43) vid. ad. v. 960.

44) cf. Rossbachium l. l. p. 210.

45) Vid. fragm. Platonii περὶ διαφ. κωμ. ap. Bergk. p. XXX No. I § 11 seq., et Comment. περὶ κωμ. ibid. p. XXXIV, No. VI § 3. περὶ κωμ. ibid. p. XXXV No. VIII § 30; Breviter parabasin attingit scriptor vitae Aristoph.; his adde Poll. Onom. IV, 111 et 112, Hephaest. p. 71,

46) cf. Kolster, de parabasi veteris com. att. parte antiquissima, Altonae 1829; Koester, de Graecae comoed. parab., Sundiae 1835; C. Kock, de parabasi, antiquae com. att. interludio, Anclam. 1856. Obiter rem tangunt G. Hermannus (El. doctr. metr. p. 720, cap. XXI); Kannegiesserus l. l. p. 354 seq.; Bodius l. l. p. 271 seq.; Geppertus l. l. p. 228.

goedia et in comoedia ita esse collocatos, ut aut prorsus aversi a spectatoribus in scenam ora converterent[47]), aut, id quod factum esse scimus in canendo carmine antistrophico, postquam in duo hemichoria chorus discessit, invicem se intuerentur et ἀντιπρόσωπον ἀλλήλοις[48]) starent. Deinde vero, ubi actio ad certum quendam gradum adducta intermissionem admisit histrionesque scenam reliquerunt, chorus statione relicta factaque conversione ad spectatores et vultus et verba dirigit; atque hanc quidem conversionem et carmen cum ea conjunctum veteres dixere parabasin.[49]) Duplex igitur notio inest in vocabulo παράβασις, primum enim significat chori ad spectatores conversionem et progressionem, deinde carmen illud, vel potius carminum in ipsa conversione vel paullo post cantatorum complexum. Huc accedit tertia notio ejus parabaseos partis, quae proprie παράβασις vocatur, de qua infra videbimus. Sed jam quaeritur, quomodo hae notiones insint in vocabulo παράβασις, de cujus vi jam veteres grammaticos dubitasse apparet e schol. Pac. v. 733 et multo etiam clarius e schol. Eq. 508. Primus e nostri temporis viris doctis Kolsterus[50]) vocabuli vim illustrare conatus est, sed quod in auxilium vocat „παραβαίνειν τόπον", extra aliquid incedere, omnino nihil ad ejus vim illustrandam confert. Recte enim Koesterus[51]) contra sententiam ejus profert, Aristophanem nunquam verbum παραβαίνειν cum accusativo conjungere, sed παραβαίνειν εἰς λέξιν ἐπῶν et ἐς vel πρὸς τὸ θέατρον dicere. Idem Koesterus recte mihi videtur vocis vim demonstrasse cum verbo παρέρχομαι de oratore in medium progrediente dicto[52]) eam conferens, ita ut nihil aliud significet παραβαίνειν, quam in medium progredi, ad spectatores propius accedere et verba facere.

Sed jam placet inquirere, quomodo sit facta illa conversio, de qua supra dictum est, quamque chorus conversus stationem obtinuerit.

---

47) ὅτε μὲν πρὸς τοὺς ὑποκριτὰς διελέγετο (scil. ὁ χορὸς), πρὸς τὴν σκηνὴν ἀφεώρα; περὶ κωμ. p. XXXV No. VI; περὶ κωμ. p. XXXIV, No. IX § 31 § 36; Vit. Aristoph. § 14.

48) Hephaest. p. 71.

49) In ipsis fabulis Aristophaneis etsi non invenitur vocabulum παράβασις, tamen verbum παραβαίνειν legitur Eq. 508, Vesp. 1528, Thesm. 785. — cf. Schol. Nub. 518 et Platon. περὶ διαφ. κωμ.

50) l. l. p. 6.

51) l. l. p. 3.

52) cf. Thucyd. IV, 28. VI, 19, et saepius.

Chorus comicus, e XXIV choreutis compositus, quo in numero chori principem vel choragum inesse constat[53]) triplici modo cum in orchestram ingrederetur fuit distributus, id quod apparet e Poll. IV, 109. Intrabat enim aut κατὰ ζυγὰ aut κατὰ στοίχους[54]) collocatus aut, id quod in singulis fabulis factum esse edocemur, procedebant singuli (καθ' ἕνα, σποράδην). Chorus igitur quatuor ordinibus senos continentibus choreutas constitutus speciem praebebat figurae quadratae[55]), cujus majus latus (στοῖχος) sex, minus (ζυγόν) quatuor choreutis constabat. Atque has quidem stationes non solum in parodis, verum etiam per totas plerumque fabulas esse servatas, optime docuit Kolsterus p. 9 et 10. — In parabasi quomodo constituti fuerint choreutae ut dijudicemus, maximi momenti sunt schol. Pac. v. 733, Eq. v. 508, Platon. περὶ διαφ. κωμ., Suidas s. v. παράβασις. Primum enim luce clarius est, chorum circum se ipsum facere conversionem[56]) non solutis quidem ordinibus, sed ita, ut histrionibus in scena versantibus κατὰ στοίχους, deinde vero facta commutatione parabatica, κατὰ ζυγὰ esset dispositus. Hoc enim conjectura assequi possumus e schol. Pac. v. 733 ἐστρέφετο δὲ ὁ χορὸς καὶ ἐγίνοντο στίχοι[57]) δ΄, et e schol. Eq. v. 508: ἑστᾶσι μὲν γὰρ κατὰ στοῖχον οἱ πρὸς τὴν ὀρχήστραν[58]) ἀποβλέποντες· ὅταν δὲ παραβῶσιν, ἐφεξῆς ἑστῶτες καὶ πρὸς τοὺς θεατὰς βλέποντες τὸν λόγον ποιοῦνται. Quidnam sit ἐφεξῆς ἑστῶτες hoc loco non facile explicare possemus, nisi oppositum esset κατὰ στοίχους, unde verisimile est, idem illud esse atque κατὰ ζυγά, quamquam in ipsis verbis ἐφεξῆς ἑστῶτες haec notio non proprie inest, id quod sequitur e Pollucis loco supra laudato, ubi ἐφεξῆς proprie definitur ad-

---

53) cf. C. Kockium l. l. p. 6.

54) στοῖχος et ζυγόν quid significent optime demonstratur iis, quae J. Pollux I, 126 de aciei instructione dicit: τὸ μὲν ἐφεξῆς εἶναι κατὰ μῆκος, ζυγεῖν· τὸ δὲ ἐφεξῆς κατὰ βάθος, στοιχεῖν.

55) cf. Poll. IV, 108; Photius s. v. τρίτος ἀριστεροῦ; περὶ κωμ. ap. Bergk. p. XXXIX. No. VIII (τετραγωνιζόμενός τι ὁ χορός); Tzetz. περὶ κωμ. v. 38 (ἐν τετραγωνίζοντι τοῦ χοροῦ τύπῳ).

56) Schol. Pac. v. 733, ἐστρέφετο, Platon. l. l., ἀπόστροφον ἐποιεῖτο, Suidas l. l., ἐπιστρέφοντες οἱ χορευταί.

57) Non opus est, quod quidam fecere, vocabulum στίχοι in στοῖχοι mutare.

58) Falsum esse ὀρχήστραν satis superque constat, nam chorus, dum in scena res agitur, in scenam oculos convertit, non in orchestram, in qua versatur. Itaque scribendum est πρὸς τὴν σκηνήν. Praeterea post οἱ excidisse videtur χορευταί, ut verba πρὸς τὴν ὀρχ. ἀποβλέποντες appositionis vice fungantur.

ditis vocabulis κατὰ μῆκος et κατὰ βάθος. Confirmatur praeterea haec nostra sententia schol. Pac. v. 733 καὶ ἐγίνοντο στίχοι δ'. Etenim si chorus κατὰ στοίχους fuisset in parabasi dispositus, prorsus inutile fuisset illud afferre, quum semper chorus comicus quadrata collocatus figura quatuor haberet στοίχους; sed quoties κατὰ ζυγά erat dispositus et primum jugum ad spectatores erat conversum, probe adjicere potuit scholiasta illud καὶ ἐγίνοντο στίχοι δ', cum collocatione ita facta spectatores quatuor ordines clarissime discernere possent, quot fuerint juga non possent, quum primum jugum reliqua tegeret. Hisce constitutis consentienbus, ut video, mecum Kolstero (pag. 9, 23), Koestero (pag. 5), C. Kockio (pag. 8), vix operae pretium erit refutare Hieronymi Muelleri aperte falsam sententiam[59]), chorum in parabasi hemicyclio circa thymelen constitutum ad spectatores verba fecisse. —

Uti supra dictum est, cum illa stationis mutatione conjuncta fuit argumenti mutatio, quum longe aliam in parabasi atque in fabula, cui inserta est, tractari materiam primo obtutu quivis leviter fabulas perlustrans intelliget. Nostrum est hoc loco inquirere, qui fieri potuerit, ut tali modo argumenti comici continuitas interrumperetur carmine primo adspectu a fabula prorsus alieno. Atque hujus rei justam causam non posse in eo cerni, quod dicit Platon. l. l. ὡς ἂν μὴ κενὸν τὸ θέατρον ᾖ καὶ ὁ δῆμος ἀργὸς καθέζηται, nemo non videt.[60]) Etenim si parabasis nihil aliud esset, nisi carmen vicarium, quod tempori explendo inserviret, non tantam mehercle, quantam ubique videmus, Aristophanes in eo expoliendo operam diligentiamque collocasset nec tamen quidquam aliud quam artis leges gravissime violasset. Itaque jure meritoque viri docti rejecto hoc argumento veram parabaseos causam invenire studuerunt, ac primus quidem, qui hanc sibi sumsit provinciam, fuit Kolsterus in dissertatione supra laudata, qui refutata falsa Kannegiesseri et Roetscheri[61]) de choro comico doctrina, quam hoc loco revocare longum est, recte docuit, de parabasi non esse ratione apriorica, ut vocabulo utar, statuendum, sed origine investigata

---

[59]) Vid. versionem ejus, tom. I p. 372.

[60]) Nec minus improbandum est, quod de origine parabaseos protulit Schlegelius „Vorlesungen über dramat. Kunst und Lit. I, 281."

[61]) „Aristophanes und sein Zeitalter."

patefactoque principio facile apparere veram ejus indolem atque naturam veramque cum tota comoedia necessitudinem.

Ex Aristotele[62]) scimus e phallicis cantilenis, quae antiquissimis temporibus a choris publice constitutis certis diebus festis in deorum atque imprimis quidem Bacchi honorem canebantur, comoediam duxisse originem additis postero tempore histrionibus. Ac si quaeras, quaenam comoediae pars ex hisce cantilenis orta esse possit: de scenicis omnino negandum est[63]), ita ut ad partes choricas, quarum princeps est in comoedia parabasis, redeas necesse sit. Chorus igitur fuit et tragoediae et comoediae pars antiquissima et auctoritate maxime egregia, eamque ob causam et quia ad deorum cultum propie pertinebat, posteris quoque temporibus retentus est. Quin etiam illos choros phallicos usque ad Aristotelis tempora perdurasse vel ex ipsis philosophi verbis cogi potest hisce: ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων διαμένει νομιζόμενα[64]).

Porro inquirentibus nobis, quamnam habuerint indolem carmina illa phallica, ipse succurrit Aristophanes, qui in Acharnensibus phallicae pompae nobis praebet exemplum. Carmina a choro pompam agente cantata lascivam continent dei invocationem, cui additur descriptio laetitiarum, quas pax jam dudum exoptata secum latura sit. Praeterea cum Bacchi cultu conjunctos fuisse ludos jocosque hilares et effrenatos vel ipsum deum pungentes, cum alia veterum testimonia[65]) tum ipse demonstrat Aristophanes in Ranis, ubi Jacchi invocatio arctissime connexa est cum acerbis hominum quorundam probris conviciisque; atque illud quidem carmen optimum esse exemplum pristinae comoediae formae, quae a solo choro nullo addito histrione proferebatur, jure meritoque contendit O. Muellerus, (in Mus. Rhen. V. p. 345) cum quo consentit Athenaeus XIV, p. 622. Sed quid multa? Nemo enim erit, quin in talibus carminibus statim parabasin, quae postea appellata est, agnoscat; ea enim et deorum allocutiones et jocosam singulorum hominum cavillationem continet. Itaque recte Kolsterus (p. 57) parabasin antiquissimam esse et episodiis postea adjectis multo antiquiorum comoediae partem contendit.

---

62) Poet. cap. IV, 14.

63) cf. Koesterum l. l. p. 17.

64) cf. Hyperid. ap. Harpocrat. p. 100, 24; Hippoloch. ap. Athen. V. p. 129 D; Demosth. in Conon. 14; Demochar. ap. Athen. VI, p. 253 C.

65) cf. Suid. τὰ ἐξ ἁμάξης. Vid. Bergk. Comment. de reliq. com. att. p. 272.

Quum vero haec carmina, uti jam diximus, proprie ad deorum cultum spectantia certis temporibus repeterentur, fieri non potuit, quin sensim paullatimque certam stabilemque nanciscerentur formam et ad certas leges exigerentur, a quibus decedere diu fas erat. Itaque facile intellectu est, parabaseos singulas particulas eandem fere semper praebere speciem, eodem ordine esse servatas, magnam denique ostendere in dicendi genere similitudinem.

Sed aliae exstant causae, quibus, ut parabasin antiquissimam esse comoediae partem vel formam dicamus, adducimur. Scitum enim est, in parabasi poetam per chorum ad spectatores verba facere, idque eam ob causam minus offensionis habet, quod antiquioribus temporibus ipsos poetas choros non solum docuisse, sed etiam in ipsis ludis iis interfuisse compertum habemus; potuit igitur poeta facile de se ipso, de fabula sua, de choro ad spectantes loqui. Simile quid factum esse videmus in prologis comoediarum latinarum, quorum tamen longe alia est ac parabaseos ratio. Nam prologum ex actoribus unus non chorus pronuntiat; praefatur is quidem nec vero mediae insertus fabulae interfatur. Prologus ne hospes quidem fabulam intrat; adest in limine mox abiturus nec rediturus; contra chorus, ut palam moneat, se dominari a principio, actores autem quasi adventitios in fabulam irrepsisse, quos, si loquantur, loqui nimirum sinat, per intervalla ipse silens, interfatur parabasi semel aut bis. cum libet, sua suo nomine agens, dicens, canens[66]).

Sed jam redeat unde deflexa est oratio. Chori cantica itemque parabasin antiquissimas esse et primarias comoediarum Graecarum partes vel ipsa docet singulorum episodiorum natura. Pleraeque enim fabulae Aristophaneae non sunt uno quasi tenore perductae sed e variis particulis coagmentatae potius quam arcto vinculo connexae, id quod facillime observari potest in Avibus et Acharnensibus. Etenim quum parabasis esset operis quasi summa et finis, histrionum confabulationes ei adjectae non facile potuerunt ita coalescere, ut inde existeret fabula unius argumenti continuitate cohaerens. Itaque episodia haud raro e singulis parvis particulis et parvis scenis, ut nostro sensu vocabulo utar, comicis ita sunt composita, ut parabasis simillima sit magnae tabulae

---

[66]) cf. Marcou, de choro et carmine lyrico apud Aristoph., Paris 1859.

pictae circumcirca singulis parvis tabellis, quibus illa exornetur, circumdatae.

Hisce praemissis maximi esse momenti mihi quidem videtur ad rem illustrandam locus, qui legitur apud Platonium l. l. § 14: τὰ μέν γὰρ ἔχοντα (scil. δράματα) τὰς παραβάσεις κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐδιδάχθη, καθ' ὃν ὁ δῆμος ἐκράτει, τὰ δὲ οὐκ ἔχοντα τῆς ἐξουσίας λοιπὸν ἀπὸ τοῦ δήμου μεθισταμένης καὶ τῆς ὀλιγαρχίας κρατούσης. Quam observationem referendam esse ad Ecclesiazusas et Plutum, recte observavit Kolsterus (p. 32). Ac de Pluto quidem idem monuere grammatici[67]). Sunt igitur hae duo fabulae ultimis poetae temporibus assignandae et mediae[68]), quam dicunt, comoediae annumerandae. Utraque enim fabula docta est bello Peloponnesiaco jam sepulto[69]), ubi Atheniensium opes fractae cecidere, et una cum illis libertas antea poetis comicis concessa corruit. Nam parabasis et totum choragii munus publice erant ad exornandos dies festos populares instituta; fracta vero democratia sepultaque, ut ita dicam, omni vita publica, quum ad paucos homines summa rerum redisset, fieri non potuit, quin publica illa instituta opprimerentur. Accedit, quod bello Peloponnesiaco finito opes Atheniensium tanta affectae erant clade, ut choros instruendi munere, quod antea fuerat quasi solemne tributum, quod ditiores cujusque tribus cives ex ordine magna cum liberalitate magnificentia aemulatione praestare solebant, non jam perfungi possent[70]). Uti jam commemoravimus, haec omnia spectant ad Plut. et Eccl., non ad Lysistratam fabulam, quae, quamvis jam Ol. 92, 1. docta, tamen caret parabasi. Sed in hac fabula aliam valere causam, cur desit parabasis, jam vidit Kolsterus, (p. 32.) „Biparti-

---

67) cf. περὶ κωμ. ap. Bergk. p. XXXIV, No. V. Schol, Plut. v. 627.

68) Quod legitur apud Platon. l. l.: Τοιοῦτος οὖν ἐστὶν ὁ τῆς μέσης κωμῳδίας τύπος, οἷός ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ οὔτε παραβάσεις ἔχοντα, non ita intelligendum est, plurimas veteris comoediae fabulas carminibus choricis et parabasi caruisse, quod haud facile quisquam contendet, sed eas veteris comoediae fabulas, quae carminibus choricis et parabasi careant, maximam partem similes esse Aristophanis Aeolosiconi. Cratini Ulixibus. cf. Bergkii Commentat. de reliq. Comoed. pag. 141.

69) Eccl. Ol. 96, 4 (schol. v. 193); Plut. Ol. 97, 4, (Argum. Plut.) — Falso Bodius l. l. p. 361 Eccl. doctas esse dicit Ol. 97, 1, et Plut. Ol. 98, 1.

70) Vid. Platon. l. l. 15.

tum enim inde ab initio usque ad ipsum fabulae finem chorum non potuisse ex persona sua unam orationem omnium dicere communem.“ Huic argumento a Kolstero prolato alia addenda sunt; etenim chorus senum adeo implicatus est scenicae actioni, ut ne occasio quidem daretur e poetae persona et animo parabasin dicendi; deinde chori vires in initio fabulae adeo erant amplissimis intentae carminibus, ut non jam sufficerent ad parabasin proferendam; quae eadem causa pertinere mihi videtur ad Ranarum fabulam, in qua, quamquam non prorsus abest parabasis, tamen mutila neque integra invenitur. Denique ne ipsius fabulae Lys compositio quidem, quum nunquam scena sit vacua, locum dat carmini parabatico.

Sed jam haec omittamus et paucis inquiramus, num ad solam comoediam referenda sit parabasis et a tragoedia prorsus fuerit aliena. Qua ab re, quamvis valde sit impedita, quod viri docti fere omnes prorsus sese abstinuerunt, mirandum est. Brevissime rem tangunt Kolsterus, p. 28 seq. et Koesterus, p. 2, not. 1.

Excitatur haec quaestio imprimis loco Pollucis, IV, 111: τραγικὸν δὲ οὔκ ἐστιν, ἀλλ᾽ Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν, ἐν μέν γε Δαναΐσι τὸν χορὸν τὰς γυναῖκας ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παρειπεῖν ἐκλαθόμενος, ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ σχήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας· καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἁμίλλης ποιεῖ σπανιάκις, ὥσπερ ἐν Ἱππόνῳ. Parum prodest, quod Koesterus l. l. sibi videtur novum attulisse, hoc αὐτὸ πεποίηκεν non ad parabasin, sed ad verba praecedentia πρὸς τὸ θέατρον βούλεσθαι λέγειν esse referendum, cum quibus ille minus recte non conjungit verba statim sequentia ὁ χορὸς παρελθὼν λέγει ταῦτα, quae verba non possunt ab illis dissolvi; hisce enim verbis Pollux parabaseos notionem complectitur atque explicat; itaque parum interest, utrum αὐτὸ πεποίηκεν ad παράβασιν, an ad reliqua illa verba referas. Sed haec non multum ad rem. Kolsterus toti Pollucis loco auctoritatem detrahere ipsumque Pollucem erroris insimulare studet hisce de causis: primum quod a tragoedia aliena sit parabasis propter ipsam tragoediae indolem atque naturam, quippe quae Nestoris instar ad tempora praeterita animum advertat neque versetur in rerum praesentium contemplatione. Deinde quod chorus tragicus, qui et ipse sit melioris temporis ob gravitatem suam et auctoritatem descendere non potuerit ad spectantium tempora et conditiones. Tum, quod rebus, quae vulgo in parabasi tra-

ctentur, quas pusillas esse et minutas dicit Kolsterus, non sit accommodata gravitas tragoediae, denique quod in tragoedia uno filo deducenda sint omnia, quo rupto interjecta parabasi prona illa dilabatur. Sed etsi verae essent hae causae, quod non prorsus concedam, tamen vereor, ne non tanti sint momenti, ut iis commoti parabasin prorsus abfuisse a tragoedia statuamus. Nam id primo loco monendum est, virum doctum comicae tantum parabaseos, qualem in fabulis Aristophaneis videmus, habuisse rationem, quam quidem, quoniam comici est argumenti, non potuisse ita in tragoediam inseri nemo non videt. Sed quid obstat, quominus cogitemus de parabasi, propter argumenti proprietatem a tragoediae gravitate nullo pacto abhorrente? Nec magis hanc gravitatem imminui credo, si chorus praesentis rerum conditionis ratione habita salutaria civibus proferebat consilia. Nam non modo res pusillas et minutas, verum etiam gravissimas maximique momenti in parabasi tractari fuisse solitas, plus una docet Aristophanis comoediarum parabasis, quoniam

τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιόν ἐστι χρηστὰ τῇ πόλει
ξυμπαραινεῖν καὶ διδάσκειν.

Tantum autem abest, ut parabasis sit pars comoediae jocosissima, ut saepenumero alienam fere a comoediae indole praebeat severitatem et gravitatem. Nec magis mihi valet, quod extremum affert Kolsterus, in tragoedia uno filo deducenda esse omnia, amissum autem interjecta parabasi hoc filum non potuisse recipi. Nam carmina chorica, quae haud raro latissime patent in tragoediis, si accuratius exploramur, saepe continere videmus deorum laudes et heroum gloriosa facinora, aut, ut in Oedipo Coloneo, terrae Atticae gloriam, quae quidem argumenta non proprie spectant ad fabularum argumenta, quae carminibus illis interrumpi fortasse diceres, nisi omnino chori naturam perspectam haberes.

Itaque vix aliter statuas atque in tragoediis quibusdam simile quid parabasi comicae infuisse, non solum tectam quandam significationem, quam in omnibus fere tragoediis Graecis hic illic reperies dissipatam. Quid vero fuerit, quod poetae tragici, quicunque parabasi usi sunt, ad populum dixerint, prorsus ignoramus. Formam denique ejusmodi parabaseos tragicae diversam fuisse a comicae forma, et per se verisimillimum est et ex ipsis Pollucis verbis effici posse videtur (τῆς μέντοι παραβάσεως, τῆς κωμικῆς, ἑπτὰ μέρη κ. τ. λ.), comicae enim parabaseos partes enumerat,

tragicae omittit, sive quod tragicae parabaseos haud accuratam habuit cognitionem, sive quod tragica parabasis non uti comica in singulas partes stabiles erat divisa, et eo tantum illi similis erat, quod poeta per chorum de se ipso ad spectatores loquebatur. Neque etiam magis rem illustrat carmen Astydamantis, tragici poetae, quod e fabula satyrica desumptum nobis servavit Athenaeus, X, 411, quod similem ac parabasis comoediae praebet speciem.

Observandum denique est, quod dicit Pollux, Euripidem saepius, raro Sophoclem illud fecisse: delegamur igitur ad tempus, quo tragica ars jam magnam fecerat pristinae severitatis et integritatis jacturam. Euripidem enim consurrexisse ad res novas, quae minime profuerunt arti tragicae, et Sophoclem posteriore tempore ejus vestigia pressisse, satis cognitum est. Quare parabasin non proprie spectasse ad tragoediam constat et ipse testatur Pollux his verbis τραγικὸν δὲ οὔκ ἐστιν, i. e. non apta est ad tragoediae indolem neque ab initio cum illa conjuncta, sed degenerata arte tragica e comoedia in tragoediam illata.

Hisce omnibus in universum disputatis, quum ut finem imponamus disputationi, quam de parabasi instituimus, hujus dissertationis angusti admoneant fines, ultimo loco de partibus parabaseos pauca afferamus.

In enumerandis integrae parabaseos partibus miram videre licet grammaticorum confusionem et perturbationem. Recte partes illas affert Pollux[71]) (IV, 112): τῆς μέντοι παραβάσεως τῆς κωμικῆς ἑπτά εἰσι μέρη, κομμάτιον, παράβασις, μακρὸν, στροφὴ, ἐπίρρημα, ἀντίστροφος, ἀντεπίρρημα, quarum partium, quas ille addidit definitiones, infra perlustrabimus. Cum Polluce consentit Platonius l. l., septem illas afferens partes quamvis alio ordine. Miras contra de carmine parabatico in medium profert sententias Tzetzes l. l. inde a v. 25, cujus confusionem, quum optime illustraverit O. Muellerus (Mus. Rhen. V, p. 347), non est, cur hoc loco repetamus. Nec minores errores, quos refellendi opera facile supersedere possumus, profert anonymus scriptor comment. περὶ κωμ. ap. Bergk. Nro. VIII. p. XXXIX. e variis variorum scriptorum commentariis temere et prorsus inconsiderate collati.

Nos in perlustrandis partibus optimo duce utamur schol. Nub.

---

71) Hephaest. p. 172, Gaisf.

v. 518: εἴδη[72]) δὲ παραβάσεως ἑπτά· ἁπλᾶ μὲν ταῦτα· κομμάτιον, παράβασις ὁμωνύμως, ἣ καὶ ἀνάπαιστος καλεῖται, ἐπεὶ πολλάκις ἐν ταύτῃ τῷ ἀναπαίστῳ χρῆται· πνῖγος, ὃ καὶ μακρόν· τὰ δὲ κατὰ σχέσιν, στροφή, ἀντίστροφος, ἐπίρρημα, ἀντεπίρρημα. Quod praeterea additum est τινὲς δὲ προστιθέασι καὶ ᾠδὴν καὶ ἀντῳδήν, ἔχουσι γὰρ καὶ ταῦτα σχέσιν πρὸς ἄλληλα, jam satis a Kolstero (p. 25) explicatum est. Idem enim significari hisce vocabulis, quorum alterum a saltatione, alterum a cantu desumptum est, nemo non intelligit. Constat igitur tota parabasis e duobus majoribus membris, quorum alterum commatium anapaestos macrum, alterum partes antistrophicas et epirrhematicas complectitur. Atque illius quidem prioris membri partes, quae simplices a schol. modo laudato dicuntur, ab aliis dicuntur ἀπολελυμέναι[73]), quia non habeant partes quae ipsis respondeant uti τὰ κατὰ σχέσιν μέρη. Sed jam agamus de singulis.

1) κομμάτιον.

Commatium est προκήρυγμα τῆς παραβάσεως[74]), quod dum canitur, chorus illam ad spectatores conversionem, de qua supra sermo fuit, facere solet. Saepissime enim commatii pars prior ad histriones de scena decedentes dirigebatur faustisque eos votis prosequebatur[75]), eamque ipsam ob causam προπεμπτική dicta est[76]). Altera pars commatii vacua scena facta ad spectatores plerumque spectat eosque jubet νοῦν προσέχειν τοῖς ἀναπαίστοις[77]). Vocabulum κομμάτιον a verbo κόπτειν[78]) derivatum esse atque exiguum chori carmen significare mihi quidem verisimile esse videtur, non a κόπτεσθαι, quod Koestero in mentum venit, quum a commatio, quale apud Aristophanem invenimus, prorsus sit aliena plangendi notio. Huc quoque referendum est, quod Pollux, l. l.

---

72) Quae in hoc scholio dicuntur εἴδη (cf. Hephaest. p. 71) ab aliis μέρη vocantur, ut a Poll. IV, 111, a schol. Ran. 686, Nub. 1113. Praestat autem εἴδη, quod vocabulum e philosophia Aristotelea profectum optime ita adhibetur.

73) vid. Hephaest. l. l.

74) Schol. Vesp. v. 1009.

75) Eq. v. 598: Ἀλλ' ἴθι χαίρων κ. τ. λ.; cf. Nub. v. 510, Vesp. v. 1009, Pac. v. 729.

76) Schol. Eq. v. 498.

77) Vid. Eq. v. 503, Vesp. v. 1015; cf. schol. Nub. v. 563.

78) Nihil conferunt ad etymologicam vocis explicationem verba schol. Eq. v. 498: διὰ τὸ προτίθεσθαι τῆς παραβάσεως κομμάτιον χοροῦ ὀνομάζεται; eadem verba leguntur in schol. Nub. v. 510.

κομμάτιον esse dicit καταβολήν τινα βραχέως μέλους· Vocem κομμάτιον non a grammaticis esse inventam, sed jam veteris comoediae poetis notam fuisse, Hephaestio l. l. testis est, cujus haec sunt verba: κομμάτιον ὃ καὶ τοῖς παλαιοῖς ποιηταῖς ὠνομάσθη, φησὶ γὰρ Εὔπολις·

„εἰωθὸς τὸ κομμάτιον τοῦτο."

Commatium igitur, uti dictum est, in eo versatur, ut parabasin, quae proprie vocatur, praeparet atque enuntiet, sicut τὸ μακρὸν eam ob causam adjicitur, ut parabasin finiat atque concludat. Inde sequitur, utrumque carmen minoris esse momenti, nec mirandum est, quod commatium interdum aut omnino deesse, aut paucis coryphaei versibus compensatum esse videmus, id quod in Ach. (v. 626 et 627) et in Pac. (v. 729—733) factum est.

Nec tamen eam ob rem commatium putandum est a coryphaeo recitatum fuisse, quem G. Hermanni[79]) errorem jure meritoque refutavit C. Kockius, l. l. p. 13. Quam tamen hic affert causam, qua commatium a toto choro cantatum esse demonstret, scilicet quod schol. Eq. v. 495 commatium aperte τοῦ χοροῦ εἶναι dicat, eam vereor, ut parum possit confirmare, cum coryphaei verba v. 729, quae commatium esse dicit schol. ad h. l. eodem modo esse τοῦ χοροῦ contendat. Omnino autem monendum est, parum diligenter veteres scholiastas discernere inter chorum ipsum et coryphaeum, eosque parabasin, quae propria notione vocatur, ἐκ τοῦ χοροῦ λέγεσθαι[80]) dicere, quam a coryphaeo recitatam esse infra docebimus.

Nec vero solum paucis coryphaei versibus, verum etiam histrionum potuisse commatium compensari, Thesmoph. fabula confirmat, ubi v. 785 vox παραβᾶσαι in initio anapaestorum conversationem jam esse factam declarat et Mnesilochi versus commatii munere funguntur. Sunt igitur proprio sensu commatia: Eq. v. 498—506, Nub. v. 510—517, Vesp. v. 1009—1014, Av. v. 676—684. Duabus in fabulis commatii loco paucos videmus coryphaei versus eosque anapaesticos: Pac. v. 729—733, Ach. v. 626—627; in una denique Thesmoph. fabula praecedentes histrionis versus anapaestos enuntiant. A Ranarum parabasi, quippe quae e melicis tantum et epirrhematicis constet partibus, com-

---

79) Vid. epit. doctr. metr. §. 653.

80) Schol. Nub. v. 518.

matium abesse nec minus in Lys. Plut. Eccl., quae fabulae omnino carent parabasi, non est, quod commemoretur.

Metra, quibus conscripta sunt commatia, melica sunt nec tamen ea, id quod Koesterus (p. 7) acutissime observavit, uno tenore deducta, sed ut ipsum commatii argumentum bipartitum est, ita plerumque bipartita. Sed de his, qui plura scire concupiverit, adeat Koesteri dissertationem, quum quae ille explicavit, nolimus hoc loco repetere. Commatium canens chorus, uti jam dictum est, conversionem faciebat, atque hanc quidem conversionem cum saltatione quadam conjunctam fuisse, propter metricas commatii rationes verisimile est, quamquam, cum prorsus in hac re veterum testimoniis careamus, nihil certi affirmari potest. Nam quod legimus in comment. περὶ κωμ. ap. Bergk. Nro. VIII: μέρη δὲ παραβάσεως ἑπτά· ἑπτάκις γὰρ ὁ χορὸς ὠρχεῖτο, ἐπειδὰν εἰς τὴν ὀρχήστραν εἰσήρχετο, id prorsus nihil valet, nam anapaestos non fuisse cum saltatione conjunctos satis constat. Praeterea si verum esset, quod tradit grammaticus, excepta una parabasi ab omnibus chori carminibus aliena esset saltatio; atqui saepissime ex ipsis poetae verbis facile cogi potest ea esse a choro saltante pronunciata vel cantata.

2) ἀνάπαιστοι.

Primaria totius parabaseos pars ea est, quam veteres dicunt ἀναπαίστους; hoc enim vocabulo ipse Aristophanes[81]) significat, quod scholiastae et grammatici dixere modo ἀναπαίστους modo παράβασιν notione propria. Alterum illud nomen eam ob causam huic parti inditum esse videtur, quod Aristophanis quidem tempore metro plerumque anapaestico, scilicet tetrametris catalecticis, quod metrum propter frequentem apud Aristophanem usum Ἀριστοφάνειον dictum est, ea scripta fuit, atque illud nomen mansisse quamvis alio metro composita fuerit, testis est Poll. IV, 112[82]). Et revera apud ipsum Aristophanem Nubium[83]) parabasin videmus metro Eupolideo conscriptam, quo eodem metro usus est in Anagyro (fragm. XIX), Priapeo in Amphiarao (frag. XVIII). Nihilo-

---

81) Ach. v. 627; Eq. 504; Av. v. 684; Pac. v. 735. — Recte C. Kockius Koesteri refutavit sententiam, totam parabasin ἀναπαίστους nominatam esse contendentis.

82) cf. schol. Hephaest. p. 102.

83) Priorum Nub. parabasin non fuisse metro Eupolideo scriptam, testatur schol. Nub. v. 520. cf. schol. Nub. v. 510. Metro Eupolid. usi sunt Plato com. in Paedario et Eupolis in Bapt.

minus Aristophanem cum studio et amore numeris anap. in parabasi usum esse, satis ostendunt quae supersunt comoediarum parabases. Ab aliis vero poetis comicis alia esse metra in parabasi praecipue adhibita atque exculta, satis multa docent perditarum comoediarum fragmenta ac valde probabilis est conjectura, simili modo quam metri Aristophanei nomen propter frequentem in parabasi usum orta esse nomina Εὐπολίδειον, Κρατίνειον, alia[84]).

Ut jam supra diximus, hanc parabaseos partem scholiastae praecipue appellabant παράβασιν neque quisquam hoc credet temere esse factum.

Quare mihi non videtur Kolstero fides habenda, ad partem epirrhematicam summam negotii redire et quae proprie dicatur parabasis, eam quasi prooemii vice fungi contendenti (p. 77). Mihi secus videtur et anapaestos primariam esse parabaseos partem cum Koestero et C. Kockio consentio; in eo enim veteres scholiastas constat propriam parabaseos indolem vidisse, ὅτι ὁ ποιητὴς εἰσάγει τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον (schol. Nub. 518. Platon. l. l. § 12), id autem fieri solet in anapaestis, quibus ita utuntur poetae, ut explanent, quod propositum sequantur, ut se ab adversariorum aemulorumve poetarum injuriis defendant, illorumque calumnias maledicas magnificis elevent laudibus, omninoque omnia, quae ad ipsos pertineant, libere profiteantur.

Anapaestos a coryphaeo esse recitatos[85]) ab omnibus fere viris doctis conceditur: cantus enim semper cum elatione quadam et vi sermonis conjunctus esse solet, quam in anapaestis, qui ad prosam orationem prope accedunt, frustra quaeris. Reliqua praeterea argumenta, quibus ut recitatos esse anapaestos statuas facile commovearis, recte in medium protulit C. Kockius (p. 15). Non enim potuit aliquis tantum versuum copiam deinceps decantare, praesertim cum nulla data remissione πνῖγος quoque ἀπνευστὶ pronunciandum esset. Deinde propter metri argumentique aequalitatem aequalibus quoque modis opus fuisset: at eandem sine ulla variatione cantilenam per quadraginta tetrametrorum seriem decantatam, quis ferre potuisset? Hisce adjiciantur quasi extremum

---

84) cf. Geppert l. l. p. 232 et Rossbach. l. l. p. 88, not. 1. — cf. fragm. ap. Hephaest. p. 96 metro Cratineo conscriptum, quod e parabasi fabulae cujusdam petitum esse putat Bergkius. Comment. de reliq. com. att. p. 27. cf. ibid. p. 114, 125.

85) Unus Hesychius: ἀνάπαιστα· κυρίως τὰ ἐν ταῖς παραβάσεσι τῶν χορῶν ᾄσματα.

argumentum ea vocabula, quae de anapaestis dici solent, διέρχεσθαι (περὶ κωμ. ap. B. Nr. VI) et λέγειν[86]) saepissime in scholiis obvia, nusquam vero ᾄδειν. Denique ut hoc de anapaestorum recitatione addam, non assentior C. Kockio, qui scholio Av. v. 682: „πολλάκις πρὸς αὐλὸν λέγεσθαι τὰς παραβάσεις" fidem detrahere studet. Id enim ut faciamus, non satis sumus de recitandi modo, qualis fuerit apud veteres, instituti. Neque omnino tam sine veritatis specie est, anapaestos esse modulante tibia recitatos.

Dicit igitur poeta in anapaestis διὰ τοῦ χοροῦ (schol. Pac. v. 733) et ὑπὲρ αὐτοῦ (Poll. IV, 111) idque ita institutum est, ut oratio sit aut ipsius poetae a coryphaeo recitata (Nub. κατερῶ πρὸς ὑμᾶς ἐλευθέρως), aut coryphaei de poeta aut de toto choro dicentis, ita ut coryphaeus de poeta verba faciens tertia utatur persona (τοῦτον τὸν ποιητήν, Ach. v. 644; ὁ ποιητής, ibid. 633). Interdum etiam poeta διδάσκαλος appellatur (Ach. v. 628) atque eundem esse διδάσκαλον et ποιητήν facile ex ipsius poetae verbis perspicitur (cf. Ach. v. 627 et 633).

Nihilominus hae res non semper tam planae sunt et expeditae, ut videntur, atque imprimis quaestio, quae est de Philonide et Callistrato, difficultates habet maximas, sed cum non proprie spectet ad eam rem, quam nobis proposuimus, non est, cur hoc loco tractemus, praesertim quum exstet satis diligens et docta Th. Kockii dissertatio „de Philonide et Callistrato" in progr. gymn. Gub. 1855.

Sed una superest quaestio digna ea quidem, quae in medium proferatur. Chorum, dum anapaesti recitabantur, stetisse immobilem omnes censent, qui de parabasi scripserunt. Mihi vero haec sententia statim ab initio parum placuit et hisce imprimis causis perductus sum, ut chorum inter anapaestorum recitationem pompam in orchestra egisse credam: ac primum quidem, quod ab aliis alio loco prolatum est, quia turba XXIV hominum tamdiu immobiliter stantium non sane pulchrum praebuit adspectum, deinde quia anapaesti proprie sunt metrum ἐμβατήριον, tum quia haec totius parabaseos pars a grammaticis παράβασις dicitur propria notione, unde colligo, illam ad spectatores convertendi et progrediendi (τοῦ παραβαίνειν) notionem, quae omnino ad totam parabasin spectat, imprimis referendam esse ad anapaestos. Denique

86) e. g. Ach. v. 626.

quia interdum choreutas, priusquam ad anapaestos sese accingerent, amicula et reliqua si quae gestabant impedimenta exuisse videmus, ut facilius possent inter anapaestos ambulare, inter antistrophicas partes saltare (cf. Pac. v. 729; Ach. v. 627). Qualis vero fuerit haec pompa, cum prorsus simus veterum testimoniis destituti, non facile possis explicare. Sed jam satis dictum de anapaestis; transeamus ad

3) μακρόν s. πνῖγος.

Macrum id agit, ut anapaestos concludat eamque ob causam et argumento et metro cum iis conjunctum est. Macrum, quod Pollux l. l. esse dicit βραχὺ μελύδριον ἀπνευστὶ ᾀδόμενον et quod ex paucis plerumque versibus constare scimus, cur hoc nomen acceperit, jure meritoquo mireris. Sed hi versus cum nulla vocis intermissione et uno quasi spiritu pronunciarentur, totum carmen longius videbatur, id quod confirmant Hephaestionis verba: διὰ τὸ ἀπνευστὶ λέγεσθαι ἐδόκει εἶναι ἐπιμηκέστερον, ἀπνευστὶ autem est uno spiritu, non data respirandi occasione, quamquam haec vocabuli vis non tam premenda est, quam fecit C. Kockius l. l. p. 16. Recitabatur enim macrum altiore quam anapaesti voce[87]), quacum dimetri anapaestici, quibus plerumque ab Aristophane scriptum est, optime conveniunt. Eamque ipsam ob causam non prorsus rejiciatur necesse est Pollucis vocabulum ᾀδόμενον de macro dictum, quamquam λέγεσθαι id Hephaestio testatur. Atqui recitatio altissima voce et celeriter facta nonne proxime accedit ad cantum?

Nec vero solum in voce verum etiam in sententiis macri conspicienda est quaedam quasi gradatio. Ubi enim in anapaestis poeta de virtutibus suis verba fecit: in macro adversarios aemulosve, ut certamen secum ineant, provocat; ubi cives in anap. propter ingratum erga poetas animum vituperavit: ut mores mutent, in macro adhortatur; ubi denique spectatoribus adversarium sese opposuit: conviciis terminatur macri oratio; etc.

Satis amplum macrum sequitur anapaestos in parabasi Avium, dignum id quidem, quod in examen vocetur, cum praesertim hujus macri indoles C. Kockium commovisse videatur, ut singularem de macro proferret sententiam. In anapaestis chorus avium cogni-

---

87) cf. Rossbachium l. l. p. 111.

tionis suae theogonicae specimen praebens imprimis id agit, ut avium genus antiquissimum esse ac maxime divinum ostendat, quae oratio in macro ita concluditur, ut chorus hominibus, siquidem deorum instar colerentur aves, summa promittat beneficia. Inter alia beneficia cum enumeretur μέτριον πνῖγος, C. Kockius (p. 16) in suspicionem incidit, „ambigui quid inesse in hoc vocabulo, quam ambiguitatem facile omnes perciperent, si coryphaeus praeter morem in dicendo remitteret placideve spiritum duceret.“ Ironico igitur sensu macrum esse compositum poetamque legem ἀπνευστί dicendi irridere voluisse. At vereor, ne haec Kockii opinio magis ingeniosa sit quam vera. Parum enim mihi probatur, quod ut sententiam suam stabiliat, vir doctus affert, non potuisse hos versus (XV in Av.) uno vocis impetu pronuntiari. Nam, ut jam supra dixi, nec nimis premenda est vox ἀπνευστί, neque ad quem perfectionis gradum in recitando veteres pervenerint, scimus, id vero satis constat, summam esse in exercendis et exstruendis choris operam consumptam. Praeterea vox πνῖγος in illa verborum conjunctione, quam apud Aristophanem Av. 725 videmus, nihil habet ambigui, modo ne ductus opinione praejudicata versiculos illos adspicias. Denique etsi vera esset haec Kockii sententia, quod nego, tamen non idem de omnibus reliquis macris statuendum esset.

Nec magis comprobo, quod idem vir doctus ait, pnigos semper dimetris anapaesticis constitisse iisque tantum anapaestis addi potuisse, qui anapaestico metro compositi fuissent. Sunt quidem ea quae servata sunt macra in fabulis servatis dimetris anapaesticis compositi, nec tamen credo id semper ita factum esse. Atque in hanc quidem opinionem me induxit fragmentum, quod legitur ap. Photium pag. 647, 22, quodque sine dubio macrum est. Praegressa autem parabasis, quae proprio nomine appellatur, metro Eupolideo conscripta fuisse videtur. Neque enim existimo eas parabases, quae isto numero fuerint compositae, macro semper et ex lege quadam caruisse: verum illud observabant comici poetae diligentissime, ut, quoniam utrumque carmen arctissimo vinculo cohaeret, pari aut certe consimili numero decurrerent; macrum tamen, quoniam uno tenore et celerrime erat pronuntiandum, minutos versuum articulos requirebat; itaque ubi parabasis anapaesticis tetrametris constat, dimetri subjunguntur, ubi Eupolidei numeri praegressi sunt, commode subsequuntur versus Pherecratei illis cognati, est enim hic

versus nihil aliud nisi prior pars Eupolidei. Porro macrum, quum sit clausula anapaestorum, vix monendum est, iis tantum parabasibus addi posse, quae anapaestos habeant. Anapaesti vero parabatici non sunt ii, qui leguntur in Ranarum parodo.[87]) Quare errasse censeo Kockium (pag. 17) „Ranarum magnae parabasi pnigos deesse dicentem, etsi rite anapaestico metro constet“, quamvis ipse non neget, hanc parabasin, quam putat, multis de causis singulari esse conditione.

Denique pnigos esse a stante choro finita illa pompa, de qua supra diximus, recitatum neque solum ut anapaestos a coryphaeo, sed a toto choro cum Koestero (pag. 6) credo. Etenim postquam coryphaeus anapaestorum magnum numerum recitavit, non jam potuit macrum idque ἀπνευστὶ recitare. Praeterea quia in macro et sententiarum et verborum quandam vidimus inesse gradationem, simillimum est illud epodo post stropham et antistropham a toto choro cantatae.

Haec fere habeo de iis parabaseos partibus, quas simplices sive ἀπολελυμένας grammatici appellant. Reliquum est, ut de iis sermonem instituamus, quae κατὰ σχέσιν ponuntur (de stropha et antistropha, de epirrhemata et antepirrhemate), quas conjunctas veteres dixere ἐπιρρηματικὴν συζυγίαν[88]), cujus melica pars est

4) στροφή et ἀντιστροφή.

Στροφὴν et ἀντιστροφὴν aliis nominibus dici ᾠδὴν et ἀντῳδήν, jam supra docuimus, ubi sermo erat de quorundam veterum hominum opinione stropham et odam secernentium (schol. Nub. v. 518). Alterum enim nomen saltationis, alterum cantus rationem habet. Nihilominus aliter visum est Koestero (p. 4) odam et stropham itemque antistropham et antodam diversas ejusdem rei partes esse contendenti[89]); jure vero meritoque ejus sententiam refutavit C. Kockius (p. 17). Stultissima autem est grammaticorum quorundam[90]) sententia, quos de comoedia scripsisse § I. disputationis nostrae diximus, stropham cum epirrhemate et anapaestis falso confundentium, quamvis non negem ad stropham et antistro-

[87]) vid. supra § 3.

[88]) schol. Eq. v. 551.

[89]) ut jam ante eum Tzetzes l. l. v. 61, qui ᾠδὴν διαιρεῖ καὶ στροφὴν ὡς πρὸς δύο
ἀντιστροφὴν αὐτήν-τε κἀντῳδὴν ἅμα.

[90]) περὶ κωμ. ap. B: No. VIII.

pham spectare illud πρὸς ἀμφότερα μέρη τοῦ δήμου ὁρῶν ὁ χορός κ. τ λ. Nec minus improbandum est quod legitur in schol. Nub. 563: Τοῦτο ᾠδὴ καὶ στροφὴ ὀνομάζεται διὰ τὸ στροφήν τινα ποιεῖσθαι τὸν χορὸν ἀπὸ τοῦ πρὸς τοὺς θεατὰς ὁρᾶν καὶ ᾄδειν εἰς ἕτερον ἀφορῶντα μέρος.[91])

Strophae et antistrophae ii viri docti, qui de parabasi scripserunt, parum habent rationem, quippe quae iisdem legibus adstrictae sint, quibus vulgo soleant strophica chori et in tragoedia et in comoedia carmina. Itaque Kolsterus satis habuit monuisse, antistropham non excipere stropham sed interjecto demum epirrhemate duci, si parabasis habeat epirrhema. Nec tamen prorsus inutile esse censeo, paullo accuratius inquirere, quibusnam utatur haec melica pars argumentis.

Saepissime continet stropha et antistropha deorum laudes, id quod jam schol. Nub. v. 563 annotavit: ἔστι δὲ ὡςεπιτοπολὺ εἰς θεοὺς ἡ ᾠδή; atque ita in Nub. et Eq. summorum deorum laudes tam gravibus elatisque verbis praedicari videmus, ut facile existat, cui haec esse a comoediae hilaritate aliena videantur. Quo in numero est Koesterus, qui hanc deorum invocationem ironice accipiendam esse censet. At minime abhorrent a comoedia deorum laudes, quoniam ii dies festi, quibus comoediae proponebantur, diis erant sacri et ipsa comoedia Baccho utebatur patrono. Praeterea vix opus est cum Kockio commemorare, in deorum Graecorum natura permultum inesse hilaritatis. Postremo ipsius comoediae antiquae naturam et Aristophanis mores qui perspexerit, nullo pacto is Koestero adstipulabitur. Erat enim Aristophanes pariter atque ceteri antiquae comoediae principes vir egregie moratus, idemque antiqui moris deorumque patriorum tenax cultor, peregrinarum vero superstitionum acerrimus judex atque vexator. — Parabasis etsi non arte conjuncta esse solet cum fabulae, cui inserta est, argumento, tamen saepenumero ad eam respicit, id quod magis etiam intelligemus, si quinam potissimum dii vel quae numina divina in strophis et antistrophis invocentur, respexerimus. Nam in Eq. parabasi ad Neptunum, θεὸν ἵππιον, et Minervam oda et antoda spectat; in Av. Μοῦσα λοχμαία invocatur in stropha, in antistropha beata volucrum vita laudibus praedicatur; in Ach. Μοῦσα Ἀχαρνική; in Pac.

---

[91]) cf. περὶ κωμ. ap. B. No. VI.

Μοῦσα πολέμους ἀπωσαμένη ut praesentes veniant sacroque choro sese immisceant, implorantur.

Nec vero solum deorum laudes in parabaseos parte melica praedicantur, sed aliae etiam res tractantur e praeterito tempore petitae: libenter chorus versatur in memoria pugnae Marathoniae facinorumque illorum in bellis Persicis commissorum (Ach. Vesp.), sed in hanc memoriam ultro sese infert tristis conscientia, tempora illa jamdudum esse delapsa, delapsos item antiquos illos et sinceros Μαραθωνομάχων mores (Ach.). Denique strophae et antistrophae argumentum in eo versatur, ut singulorum hominum mali mores et vitia detegantur, quod praecipue in parte epirrhematica fieri solet. Ita in Pac. parabaseos stropha et antistropha Carcinum, Morsimum, Melanthium, alios pravos poetas irrideri videmus[92]); sed eam ob causam haec parabasis singulari conditione est, quod deest epirrhema et antepirrhema antistropha statim stropham sequente. Stropham et antistropham, ut hoc extremo loco commemorem, cum saltatione fuisse conjunctas ita ut alterum hemichorium stropham saltans caneret, alterum antistropham, jam ex ipsis poetae versibus satis superque apparet. (cf. Eq. v. 559; Pac. v. 775 etc.)

5) ἐπίρρημα et ἀντεπίρρημα.[93])

Nomen ἐπίρρημα ab eodem vocabulo primitivo petendum esse atque ῥήτωρ, ῥῆσις, recte observavit C. Kockius (p. 18).[94]) Antepirrhema inde nomen accepit, quod epirrhemati respondet. Multa falsa de epirrhemate in Tzetzae aliorumque de comoedia commentariis inesse, non placet hoc loco explicare.

Magna inter anapaestos et epirrhema intercedit similitudo, siquidem argumenta, quae in utraque parte tractari solent, respicimus, attamen eo differunt anapaesti ab epirrhemate, quod proprie sunt poetae, epirrhema vero chori, quamquam negari nequit, epirrhema quoque e poetae persona quodammodo dictum esse, quod confirmat schol. Ran. 354: ὁ δὲ λόγος ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ, καίτοι δοκῶν εἶναι

---

[92]) cf. Ran. parab. stroph.

[93]) ἐκτροπὴν et ἐπῳδὸν appellat epirrhema schol. Nub. 595 ratione habita strophae et antistrophae, parum recte ἐπῳδόν.

[94]) Falso schol. Nub. 575: Τοῦτο ἐπίρρημα ὀνομάζεται διὰ τὸ ἐπιρρέπειν αὖθις τὸν χορὸν πρὸς τοὺς θεατάς. Cf. schol. Plut. 257.

χοροῦ. Praeterea epirrhema metro constat plerumque[95]) trochaico ac tetrametris quidem catalecticis[96]), et sicuti numerus trochaicus levior et volubilior est quam anapaesticus, ita res quoque in epirrhemate tractantur majore cum hilaritate quam in gravioribus anapaestis.[97]) Quaerentibus autem nobis quodnam sit epirrhematis argumentum, succurrit schol. Ran. v. 354 hoc: ἔθος γὰρ ἐν τῷ ἐπιρρήματι χρηστὰ συμβουλεύειν τῇ πόλει, ἢ ἐλέγχειν τοὺς πονηρευομένους. Et profecto id agit praecipue poeta in epirrhemate, ut singulos homines propter malos mores ipsi invisos et civitati obnoxios justae exponat irrisioni. Nec vero eam ob causam verba, quae leguntur in argumento I. Nub.: ἦν δὲ τὰ ἰαμβεῖα τετράμετρα, ubi de epirrhemate sermo est, ita explicanda sunt, ut ἰαμβεῖα versus sint ad jamborum indolem conscripti et expressi, id quod Kolsterus contendit (p. 47); non enim comprobari potest, quod inter ἰαμβικός et ἰαμβεῖος vocabula proponit vir doctus discrimen, quoniam ἰαμβεῖα τετράμετρα nihil aliud sunt nisi tetrametri jambici.[98]) Itaque, nisi verba illa argumenti corrupta esse statuere libet[99]), aut epirrhemata jambicis quoque tetrametris constitisse fatendum est, aut, id quod magis mihi placet, scriptorem illius argumenti trochaeos et jambos, quippe quae metra arctissimo cognationis vinculo conjuncta sint, uno nomine esse complexum.

Jam vero pauca moneamus de versuum numero, quibus epirrhema itemque antepirrhema[100]) constare solent. Longe plurima quae supersunt epirrhemata sedecim tetrametris trochaicis constant, qui versus ab Aristotele σατυρικὸς ῥυθμὸς appellatur (rhet. III, 8). Sed hunc numerum non fuisse immobilem, docent epirrhemata: Nub. 575—594, Vesp. 1071—1090, Ran. 686—705, ubi pro sedecim versibus viginti reperies, neque id effugit scholiastas, quamvis numerus duodeviginti versuum, quem inter alios affert schol. Vesp. 1071, quod sciam, nusquam occurrat. Denique

95) Ab aliis poetis in epirrhemate alia quoque metra adhibita esse verisimile est, cf. Koester. p. 12.

96) Schol. Eq. v. 565. 1274.

97) Nec tamen probandum est, quod dicit C. Kockius. p. 18, fictas maxime res tractari in partibus epirrhematicis, quum hoc prorsus abhorreat ab antiquae comoediae, cui soli parabasis est, indole atque natura.

98) cf. Aristot. poet. 4; rhet. III, 8.

99) Geppert l. l. p. 235, not. 1 suspicatur pro ἰαμβεῖα scribendum esse ἀμοιβαῖα.

100) Schol. Vesp. v. 1071, et schol. Av. v. 785.

1) Cf. schol. Eq. v. 565.

R. Engerus (in Mus. Rhen. Nov. X, 1856 p. 119) et post eum C. Kockius l. l. p. 19 octo quoque versuum epirrhema esse Eccl. 1155, et duodecim duo Ach. 971—987 et Vesp. 1275—1283 demonstrare studuerunt. Sed cavendum est, ne omnia carmina, quae aut ad judices vel ad spectatores videntur directa esse, aut singulorum hominum continent convicia et cavillationes, parabatica esse vel epirrhematica eam ob rem censeamus. In Eccl. versus inde a 1155 non mihi videntur epirrhema esse, idemque contendere contra Engerum (in Mus. Rhen. 1854) video Rossbachium l. l. p. 146, adnot. 1., quum omnino haec fabula, uti supra diximus, careat parabasi. Sed poeta, ut tamen pauca de se ad spectatores proferret, chorum abeuntem, ubi necessario conversio facienda erat, quum antea in scenam ora convertisset, induxit verba ad judices facientem eosque, uti justum ederent judicium adhortantem. Praeterea ne verum quidem est, quod Engerus dicit, agnosci a scholiastis epirrhemata Ach. 971—987 et Vesp. 1275—1283, quoniam schol. Ach. 971 aperte contendit, carmen inde ab hoc versu sequens non esse parabaticum, sed speciem tantum praebere epirrhematis.

Recitatas esse partes epirrhematicas, non cantatas, vix monendum est, multo autem difficilius dictu est, a quonam sit epirrhema et antepirrhema recitatum quamque stationem in recitando tenuerit chorus. In priore totius parabaseos parte chorum non fuisse divisum satis constat, stropham vero et antistropham canentem, in hemichoria divisum, sinistrorsum et dextrorsum esse evagatum[2]). Simili modo in recitandis partibus epirrhematicis chorum fuisse bipartitum credo, nisi forte antepirrhema prorsus omiserit poeta, et alteri hemichorio epirrhema, alteri antepirrhema tribuo[3]).

Hae sunt partes integrae et perfectae parabaseos, quibus peractis chorus rursus ad histriones sese convertit. Sed inveniuntur etiam saepissime mutilae[4]) parabases, quae non omnes illas partes habent, de quibus supra egimus. Ac commaticum quidem et pnigos haud raro omitti, jam supra dictum est. Interdum autem anapaesti desunt, ita ut τὰ κατὰ σχέσιν μέρη tantum supersint,

---

[2]) Schol. Eurip. Hecub. 647: ἰστέον μὲν ὅτι τὴν μὲν στροφὴν κινούμενοι πρὸς τὰ δεξιὰ οἱ χορευταὶ ᾖδον, τὴν δὲ ἀντίστροφον πρὸς τὰ ἀριστερά.

[3]) Aliter Engero videtur l. l., qui quidem epirrhema a choro ita recitatum esse contendit, ut quaternis utriusque hemichorii choreutis tribuendum sit.

[4]) Schol. Nub. 518.

quam parabaseos formam ἐπιῤῥηματικὴν συζυγίαν grammatici dicunt, qualem videmus in Ran. inde a v. 675. Utitur hac parabaseos forma Aristophanes libenter in iis fabulis, in quarum priore parte jam alia inest eaque perfectior parabasis, uti in Av. 1058, Pac. 1127 etc. — Pacis parabasis I. ex anapaestis tantum et partibus melicis constat, solum epirrhema invenitur Nub. 1115. Sed longum est, omnes parabasium species enumerare, quare disputationem hanc de parabasi institutam ad finem perducturo id unum mihi inquirere placet, qui fiat, ut, quoniam anapaestos esse primariam partem antea docuimus, haec pars, si plus una datur parabasis, non repetatur, quae res Kolsterum in suspicionem induxit, ad epirrhema et antepirrhema summam negotii redire, quippe quae partes in una eademque comoedia saepius inveniantur. Sed non est, cur hoc ita esse institutum miremur. Nam cum in anapaestis ipse poeta de se suaque conditione verba facere soleret, satis erat, id in una fabula semel fecisse; epirrhemata contra, in quibus hominum vitia perstringebantur et notabantur, quum satis larga esset poetae copia irridendi concessa, facili negotio duplicari poterant.

Simili fere modo de carmine exodico sive hypochoretico (vid. schol. Vesp. 270), tum de reliquis chori comici cantilenis, denique de partibus scenicis (de prologo, exodo, episodiis) disserendum mihi esset, nisi angusti hujus dissertationis fines, ut hoc loco subsisterem, me commovissent. Malui autem pauca accuratius perquisita et pensitata proferre quam multa obiter percurrere. Alio fortasse loco oblata scribendi occasione de reliquis partibus, quas hoc loco omisi, quidnam mihi videatur exponam. —

CORRIGENDA.

Pag. 3 lin. 17 pro eam l. eum. — pag. 5 lin. 4 p. thymlicas l. thymelicas. — pag. 5 lin. 17 post „antea" comma del. — pag. 5 lin. 23 l. κωμῳδίας. — pag. 5 not. 4 p. ἐπεισόδεον l. ἐπεισόδιον. — pag. 7 lin. 6 post ἐπίβασις inseratur punctum. — pag. 8 lin. 27 p. publice l. publici. — pag. 8 not. 10 p. demonstaret l. demonstraret. — pag. 8. not. 10 p. persudebit l. persuadebit. — pag. 8 not. 11 p. μελός l. μέλος. — pag. 9 lin. 3 p. cantatum l. cantatam. — pag. 9 lin. 6 p. Chorus l. Chorum. — pag. 9 lin. 9 Parnatem l. Parnetem. — pag. 9 not. 12. p. Rabortell. l. Robortell. — pag. 10 lin. 12 p. historibus l. histrionibus. — pag. 11 lin. 10 p. dispositi l. dispositae. — pag. 14 lin. 6 p. σπονδῆς l. σπουδῆς. — pag. 14 lin. 19 p. quotuor l. quatuor. — pag. 15 lin. 23 p. vacant l. vocant. — pag. 16 lin. 1 p. conditioni l. conditione. — pag. 16 lin. 6 post 312 adde). — pag. 16 lin. 16 p. ὀμοίων l. ὁμοίων. — pag. 16 lin. 23 del. „aut". — pag. 16 lin. 34 del. comma post choreutis.

VITA SCRIPTORIS.

Hermannus Theophilus Hornung, fidei evangelicae addictus, natus sum Wernigerodae, in urbe Saxoniae provinciae, anno h. s. XXXVII mensis Decembris die VII patre Theophilo, quem mihi puero V annos nato praematuro fato ereptum lugeo semperque lugebo, matre Ludovica e gente Blessmann, quam adhuc superstitem pio gratoque animo veneror atque ut multos mihi annos vivam validamque servet Deum O. M. oro atque obsecro. In lyceo urbis patriae primis literarum elementis imbutus anno aetatis XIV Halberstadium deductus et gymnasio Stephaneo, quod adhuc auspiciis Theodori Schmid, viri tam doctrina quam humanitate et comitate egregii, floret, traditus sum. Ibi per sex annos doctissimorum virorum usus disciplina vere anni h. s. LVIII maturitatis testimonio instructus ab Ill. Moll, Universitatis Halensis t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus sum et nomine apud philosophos dato per tria semestria in literarum philologicarum et philosophiae studium incubui scholisque interfui virr. Ill. Bergk, Bernhardy, Jacobi, Schaller, Tholuck, Ulrici, nec non seminarii regii philologici, cujus exercitationes moderabantur Bernhardy et Bergk, fui sodalis. Deinde Berolinum me contuli et a vir. Ill. Boeckh, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos receptus scholas frequentavi virr. Ill. Boeckh, A. Benary, Droysen, Haupt, Hirsch, Muellenhoff, Michelet, Ranke, Trendelenburg, Werder, quibus viris omnibus valde de me meritis gratias ago quam maximas gratiamque semper habebo.

Sed nefas est hinc decedere nisi revocata memoria avunculi carissimi, Guilelmi Blessmann, qui mira qua semper utebatur in me meamque familiam comitate liberalitate benignitate aere perennius sibi exegit in animo meo monumentum. Sed gratiae hoc loco ei agendae nihil jam sunt nisi tenue coronae funebris folium, cum complures ante annos praematura morte eum mihi ereptum lugeam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

---

1. Falsa est veterum quorundam grammaticorum doctrina, stasimon esse carmen chori „ἀκινήτου μένοντος.“
2. Statua, quae in museo regio Berolinensi No. 80. notata et vulgo Euterpe habita est, non est Euterpe sed Venus sepulcralis.
3. In dialogis Platonicis ideam boni non diversam esse contendo a summo deo.
4. In tragoediis Graecis nusquam invenitur fati caeci et inexorabilis opinio.
5. In Horat. carm. II, 20, 6 legendum esse censeo „cui vacas.“
6. In Aeschyl. Prom. v. 420 scribendum esse credo „Ἀρίας.“

